

B. N. II, 81.

f. 14. 9.

X 187 6062

26/40

ASSISTENTE SACROSANCTÆ
ET INDIVIDUÆ TRINITATIS
PRÆSIDIO,

Disputationem hanc Inauguram

II R
1674

De

COMITIBUS
SACRI PALATII,

Ex Decreto & Autoritate

*Magnifici & Nobilissimi in Inclytâ Ludovici-
CIANA Jctorum Ordinis,*

PROLICENTIA

Summos in Utroq; Jure Honores ac Privilegia
Doctoralia legitimè capessendi,

IN AUGUSTO JCTORUM AUDITORIO,

*Publico ac solenni Excellentiss. Dnn.
Professorum examini*

Ad diem Mart. MDCLXXX.

Submittit

BERNARD. LUDOVICUS MOLLENBEC,
Rinteliô - Westphal.

G I S S Æ,

Typis, Relictæ conjugis B. KARGERI, Academ. Typogr. Ord. 1680.

SERENISSIMO ET CELSIS-
SIMO PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
ERNESTO LUDO-
VICO,

Hassia Landgravio, Principi Hers-
feldia, Comiti in Cattimeliboco, Decia, Zie-
genhainâ, Niddâ, Schaumburgo, Ysenburgo, & Bu-
dingâ, &c. &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Disputationem hanc Inauguralem

In

Subjectissima devotionis

Perpetuae fidelitatis monumentum,

Suique studiorum commendationem humilimam,

Religiosè consecrat ac offert, aeternum

devotus

AUTOR






PRÆLOQUIUM.



Sacri Palatii Comites, in Speciminis Inauguralis thema, uti propter dignitatem quâ pollent eorum præcipuam, ita non minorem quæ cuivis se commendat argumenti utilitatem, eligi oportebat: Namque vel eo materiæ videbatur præstantia & utilitas major, quo plus ponderis in iis negotiis positum est, quæ Imperialis auspiciò Culminis, in universo Romano exercent, expediuntq; Imperio Comites, ut Cæsareæ, in iis, Majestatis vim atque splendorem excelsissimè vigere deprehendatur. Sed nec omni rem, suæ quoque immerisam difficultati, exhibeo numero absolutam: partim quod Academicæ Dissertationis non penitus exhauriri cancellis posse apparebat: partim quòd, si potiora saltim & hujus quæ argumenti præcipua sunt pro tenuis ingenii modulo proponerentur, satisfecisse proposito meo, & si quæ discutienda restarent & ætati & operæ fortè aliquando majori asservari posse crederem: Ut excusationē propterea veniamque mihi à quovis facilè pollicear, & confidam, sicubi defecisse conatus videbuntur, supplere eosdem benevolum Lectorem non iri gravatum.

A

Feli.



Feliciter!

SECTIO I. NOMEN ET ORIGINEM COMI- tum Sacri Palatii exhibens.

§. I.



COMITIS nomen, (germ. *Graffe.**)
Quod à *comitando* dici, *Ulpianus* in *l. 15. §. 16. ff. de injur.* Autor est, nec *atatem* agnoscit nec *gentem* unam, quin tot sustinuit vicissitudines ut quoad hoc ex publicorum munerum vocabulis ferè nullo componi possit: Quare mirū non est, si exactā hujus rationē disquirere volenti, quo primū ævo cœperit, quamq; diversa apud

diversas gentes non uno quoque tempore fuerit significatio, ingens obveniat Autorum Scriptorumque confusio: Nos in tam sublimis rei argumento, quod accurata unicè *historia* potest conficere cognitio, succinctiores brevioresque eò erimus, quo eruditius & ut meretur prolixius. *Hæc* tot locis & tantopere à *Juris*, *Philologis*, *Politicis* &c. Pertractata materia est, ut si ultra vel verbum addiderimus, nil nisi actum egerimus: *vid. post plures Besold. Dissertat. de Comit. & Baron. Imp. n. 1. 2. 3. seqq.*

* Veram hujus vocis qui dederit notationem, ex sententiâ *Isaac. Pontani*, referente *Besoldo*, hætenus nemo inventus est: Enimverò cum rerum sit habenda ratio potior, parum vel nihil interesse putamus, sive eandem cum *Besoldo* à *canitie*, *grau/* ut *Graffen* sint quasi *cani*, *Seniores*, h. e. præcipui; Sive cum *Heigio* à *fossis* quæ nobis *graben* Belgis *Graffen* vocantur; Sive cum *Lycklama* à latino *gravis* quod *Comites* virtute animique debeant esse præstantiâ graves; Sive etiam à *robore* & *potentiâ* quod potentiam in provinciis sibi commissis *Comites* obtinerent: Sive cum aliis aliunde deducas: Sanè si certi quicquam statuendum, fatendum omninò cum *Reinkingio*

kingio est, de Reg. Sec. & Eccles. class. 4. c. 14. n. 19. vocem hanc ab origine ita natam, non verò factam aut aliunde derivatam esse, ita ut originaliter nihil aliud quàm *judicem* denotet: Neque enim prius solum temporibus, sed etiamnum adhuc hodie in plurimis Germaniæ locis vocem *Grasse* aut *Gresse* *judicem* notare v. g. *Holzgrasse*/*Sograff*/*Zentgraff*/*&c.* notius est, quàm ut probari multis oporteat.

§. 2. Et primò quidem *Comitis* haut secus ac *amici* vox, mox nudi honoris, mox certi mansurique officii character erat, ut omnes qui Principem sectarentur, ejusque adhærerent lateri *Comites* nuncuparentur: Egregiè de Comitibus Principum *Spartianus* in Hadriano: *cum indicaret, in consilio habuere non amicos & Comites solum, sed & Ictos*: Nec ii saltem quos à consiliis secum habebant Principes, *Comites & Amici*, dicebantur *vid. l. 17. ff. de Jur. patron.* sed & simul alii varii generis administri quàm militares, quàm togati hoc nomine insigniebantur *Gotofr. in rubr. Cod. de Offic. Com. Sacr. largit.* Hincque est quod ad quoscunque ferè *judices, præpositos, & officio quali quali fungentes* hunc *Comitis* titulum in jure nostro porrectum videas: Ita *Comes* est sacri consistorii, de quo in §. 1. *de Nov. Cod. fac. & l. 4. C. de adv. div. jud.* *Comes metallorum, in inscript. l. 1. C. de metall.* *Comes militum, de quo l. 1. C. de Offic. Vic. & l. 6. C. de Assess.* *Comes commerciorum l. un. C. de ann. & capit.* *Comes domesticorum l. 6. c. de adv. div. jud.* *Comes domorum l. ult. C. ubi caus. fisc.* *Comes rerum privatarum l. 3. C. de bon. vac. &c.* quorum omnium recensere nomina prolixum, munerum rationem exprimere accuratam aut tædiosum nimis aut supervacaneum omninò foret: * Quin adhuc hodie *laxus* ille vocis *usus* vel in solis centenis Comitibus *Zentgraffen*/ aliisque quos *Dinggraffen*/*Raugraffen*/*Satzgraffen*/*Holzgraffen* vocamus, superest: Et in ipsis quoque libris Feudisticis *judices ordinarios, urbium item præfectos, Comitum* aliquando venire nomine ex *cap. un. si de inv. int. Dom. & Vasall.* apparet.

* Ceu nec, cum triplex vulgò Constantini M. temporibus referatur *Comitum* ordo, curiosè multum disquirimus, qui primi, qui secundi, qui tertii ordinis, quinam characteristici quorumlibet tituli, quinam *Illustres*, qui *Spectabiles*, qui *Clari*, qui *Clarissimi* fuerint.

§. 3. Majoris dignitatis nota tum *Comes* esse cœpit, cum ex eorum præcipuè numero quibusdam qui in Sacro *Comitatu* i. e. aulâ Principis erant, provinciæ regionesque integræ committerentur gerendæ: Ex quo factum esse, ut Rectores illi deinceps *Comites* appellarentur, non quidem Principis, cum quo amplius non erant, sed suæ cujusque provinciæ, quam ipsi cum *Comitivâ* dignitate gubernabant, ut *Comes Africa, Orientis * Ifauria &c.* *Magnific. Dn. Strauchius in Diss. Exoter. 3. thes. I.* nobis Autor est: Jurisdictio autem & territorium cui præficiabantur *Comitatus* nomen meruit: Cujus dignitatem cum retinere studerent, eadem postea hominii fideique nexu, ita ut administratio fruenda etiam ad heredes pertineret, tributa est, in Germaniâ quidem ab Ottone I. in Gallia ab Hugone Capeto, referente *Cluten Syll. rer. quotid. thes. 26.* Hinc & 2. *Feud. 10.* uti Dux qui de Ducatu, Marchio qui de Marchiâ, ita Comes ibi dicitur qui de Comitatu investitus est: Et horum quidem etiamnum hodie adhuc quam plurimos quanquam non *unius generis* ** in Imperio nostro superesse, notius est quam ut abundè dici mereatur. Ab his *nostris*, de quibus in præsentiarum, quantum differant *Comites* in obscuro non est. Nimirum à solo *Comitatus* i. e. Aulæ Principis nomine, Comitatu non investiti (ceu & Episcopos absque Episcopatu, quos titularios & ambulatores vocant, dari ex *Greg. Tholos. refert Arum. Disc. Acad. 9. de Archi Episc. & Episc. Imp. Rom. Germ. §. 8.*) ita dicuntur: Uti omnes illos qui in Principis sunt obsequiis & laboribus officiisque quibusdam sunt præpositi, hoc in signitos fuisse nomine, jamjam ostendimus: Superest ut *Palatii* quid præ se ferat nomen, dispiciamus.

* De quo præter specialem *Cod. tit. de Offic. Com. Orient. ubi Gothofr. egregius extat Zosimi locus, cujus idem Prælaud. Dn. Strauchius c. I. meminit: Is verò, inquit, Comitem Orientis fecit: Cujus magistratus ea potestas est, ut qui eum gerit, omnibus provincias Orientis administrantibus præsit.*

** Varii enim sunt: *Quidam* in Principum evecti ordinem *gefürstete Graffen* appellantur, quos inter *Habsburgenses, Tirolenses, Görzenses, Hennebergenses &c.* referunt: Horumq; Comitatus *eine Fürstliche Graffschafft* vocatur, *R. A. de ann. 1576. §. Nach dem auch*

auch auff jeso ibi. die Fürstliche Graffschafft Görz:
 Qui num simpliciter benen Fürst-mässigen accensendi sint, de eo
 vid. Vir laude omni superior. Magnif. D. Lyncker *Patronus ac Præce-*
por in Almâ Salanâ obsequiosè semper colendus, tr. de Gravam. Extrai.
6. 5. s. 1. n. 5. seqq. Quidam præter Comitum appellationem nomi-
 nantur Edele Herren/ut sunt *Lippienses, Graffen und Edele Her-*
ren zur Lippe: Quidam ab Imperatore de Comitatu immediatè
 investiti, ceu alii Proceres Statusque Imperii *suffragii jure* in Comi-
 tiis suo tamen modo gaudent, dicunturque Reichsgraffen: Quidam
 destituti *Status qualitate* & quoad bona & personam sub Prin-
 cipum aliorum sunt jurisdictione, veniuntque nomine *Landjassio-*
rum: Quidam ad aliarum *Quaternionum* (quæ unde fundamen-
 tum capiant suum, jam non disquirimus) exempla, die vier Graf-
 fen des Heil. Röm. Reichs dicuntur, ex quibus soli ferè *Schwarz-*
burgenses in Thuringiâ superstites sunt, tituloque utuntur der vier
 Graffen des Reichs/ Graffen zu Schwarzburg: vid. *Reinh. Kö-*
nig. de Statibus & Membr. Imp. Rom. ap. Arumæ. vol. 2, Disc. Acad. 18.
th. 94.

§. 4. *Palatia*, quæ Germanis *Pfalens/ Pfals* vocantur,
 Imperatorias regiasque denotasse ædes ex Historiâ notum est:
 Ab ipsius Romuli statim temporibus rei hujus qui deducant ori-
 ginem, non desunt: Ita testium primus *Livius l. 1. c. 7. Romulus,*
inquit, Palatinum in quo ipse erat educatus, primum munit: Post
 hunc Successores ejusdem sive gloriæ indolisque heroicæ chara-
 ctere, sive strenuâ Romuliani hominis æmulatione hoc *Palatii*
 affectasse nomen, Historici loquuntur: De *Cæsare* *Schubar-*
rus Exerc. Histor. de Comit. Pal p. 119. ita: *Studebat unicè Cæ-*
sar Romulo non par magis, quàm superior esse, ipsum Romuli nomen
tanquam rebus suis auspiciatissimum adfectabat, & nisi æquè patri-
bus ac plebi minus invisum fuisset ac suspectum Rex appellari præ-
ceptabat: Atq; cum eodem cum Romulo habitaret *Palatio*, famam
 ejus ac nomen adeò posteris commendavit, ut quocunq; deinseps
 loco rerum collocasset sedem Imperator, illi *Palatii* nomen inderetur.
 Quin & *Augusto* inter alios honores eidem datos, ut *Regia*
 ejus *Palatium* diceretur, fuisse referunt. Augustum secuti Ro-
 mani Imperatores cæteri quos *Palatia* seu certas habuisse ædes
 laxitate, splendore, cultuque conspicuas probatu non est diffici-
 le. Nec Ethnicos solùm, sed & Christianos quoque Imperato-
 res pompæ antecessorum æmulos non in vetere tantùm

& Novâ Româ (quam l. 9. Cod. de Off. rect. Prov. Augustissimam κατ' ἐξοχὴν vocat urbem) sed & in civitatibus per provincias sua habuisse Palatia, Romanæ leges evincunt. Extat de his textus in l. un. C. de palat. & Dom. Dom. Consecratas nobis aedes, inquit Imp. Theod. & Valent. id est inclyta Palatia, ab omni privatorum usu & communi habitatione excipimus.* Quantus eorundem fuerit splendor, vel ex l. 22. C. de oper. publ. peti potest: Hincque est, quod *Sacratissima* eadem vocari videas in l. 14. C. de Off. rect. prov. itē *Sacra*, rubr. C. de privil. eor. qui in Sac. Palat. & §. 3. proœm. Instit. quod ipsorum *Sacratissimorum Principum*, ceu vocantur in tit. de Concept. Digestor. §. 1. ibi: à *Sacratissimis retrò Principibus*, tanquam DEI Sanctissimi Vicariorum sedes sint: Imò de quorumcunque populorum supremis magistratibus ex antiquitate idem testatur *Reinesius comment. parerg. de Palat. Lateran.* eos sedes certas regnorum sibi delegisse, quores locorum eos ducerent, easque magnificis ædificiis, vestibulis, Palatiisque exornasse, magnis sumtibus & operibus munivisse, tum corporis sui custodiæ, tum juri dicundo, publicisque regni rebus tractandis inservituras. Quin etiamnum adhuc in oppidis Germaniæ vetustioribus, quæ aliquando Imperatores incoluere, *Palatiorum* seu *salarum regiarum* nomine aedes superesse, *Königliche Pfalz / Königshöffe* idem *Reinesius* comprobat: *conf. Besold. thes. pract. verb. Pfalzen / Pfalz.*

* Nec tamen sibi solis horum reservare usum Imperatores, quin & Magistratibus quibusdam ea inhabitandi licentiam concessere l. 17. C. de Oper. publ. *Gotofr. ad l. 14 C. eod.* Imò à *Leone l. 14. C. de Off. rect. prov.* cautum est, ut præsides provinciarum non aedes privatas, sed *Palatia* seu *Prætoria* inhabitarent, inque iis juridicinam exercerent.

§. 5. A *Palatio* nomen suum sortiti *Palatini* sunt; nam ab initio omnes olim referente *Schubart. d. Exerc. p. 120.* quibus in *Palatio* Principis vel civili vel militari fungi licuit officio, *Palatini* dicti sunt, it. *Comites Palatii* seu *Comites Palatini*: quod tamen nomen iis postea proprium factum fuisse verius est, quos ad *Palatium* Aulamque delatis controversiis decidendis præpositos esse Historici memorant: quorum officium ex *Hincmaro* describit *Illustris Dn. Struvius*, Patronus noster summè observandus

vandus, *Syntagm. Jur. Feud Exerc. 3 th. 7.* Comes Palatii, inquit, de omnibus secularibus causis vel judiciis suscipiendis curam instanter habebat ut nec seculares prius dominum Regem absque eius consulto inquietare necesse haberent, quousque ille praevideret, si necessitas esset, ut causa ante Regem merito venire deberet: Et ex *Reineccio*: Pfalz-Graffen waren Richter des Königlichen Hoffes oder Pallast / haben auch derer Landschafften / so erstlich von den Königen erobert und eingenommen / mit Gerichts- und Rechts-Berwaltung aepflogen / daß also dieser Nahme anders nicht ist / als Pallast-Graffen / Palatii vel aulae iudices, wie dann auch noch die Sächsische Aushrede Pals-graffe / solches eigentlich weiset. Quin imò omnes qui diuturnis obsequiis & laboribus in Palatio praestitis, à Principe hoc nominis acceperant, non in peculiare munus, sed dignitatem & honorem quo praecæteris essent insignes, aliisque anteferrentur dici Palatii Comites meruerunt: Et ex eodem fonte *Cæsarei nostri*, de quibus impræsentiarum, Comites, Palatii Comites dicuntur, quod à Cæsaris dependeant Palatio, ipsique deserviant, & actus illorum, non ab ipsorum personâ, omni quippe tam sublimia peragendi negotia facultate destitutâ, sed ab ipso *Sacratissimo Imperatorio Palatio* provenire censeantur: Nimirum tales illi Personæ sunt, quibus ob singularia eorum merita, cum egregiâ Illustrique quam nanciscuntur dignitate, tot splendida sibi Re-tervata de Palatio suo communicavit Imperator, ut Nobiles v. c. Doctores, Licentiatos, Magistros, Baccalaureos, Notarios, Poëtas, creare, spurios, manseres, aliosque extra legitimum thorum natos legitimize, veniam ætatis concedere, multosque alios ex concessione & delegatione Cæsareâ exerceer actus possint: Quos & *Aula Cæsarea*, & *Imperialis Consistorii Palatiiq;* Comites, item, *Consistorianos*, vel simpliciter *Palatinos*, *Kaiserliche Hoff-Pfals-Graffen / Reichs-Hoff-Graffen* / vocari videmus: Quæ nomina non diversos à se invicem honores notantia, ex antiquo ita Reip. statu sumpta, usurpantium consuetudine jam invaluerunt.

§. 6. Quantum ad *originem* horum Palatii Comitum, prolixa & cæteroquin non adeò expedita res est: Quam cum
 integrâ

integrâ jamdudum unicè sibi explanandam sumserit commentatione *prælaud. Reinesius*, actum egero, si multa de eâ commentari audeam: Res breviter eò reducitur: Imperialis Romæ sedes erat Palatium *Lateranense** dictum, cui Cæsares *Comitis* aliquem titulo præfecerunt, ad id præcipuè assumptum, ut in consecrationis unctionisque actu Imperatori assisteret & ministraret: Illud Pontifices postmodum invasere, & jus Comitatum istum conferendi, ab Imperatoribus hætenus exercitum, sibi usurparunt: Donec *Ludovicus. IV.* Imperator hæc de possessione dejecisset *Johannem XXII.* jusque sibi suum rursus magnâ ex parte assereret, Palatioque suo Lateranensi præfecisset, ab eoq; multis insuper egregiis privilegiis ac juribus concessis Comitem denominasset *Castrucium Lucensium, Pistoriensium, & Valateranorum Ducem, Vicarium suum & Senatorem urbis*, Fiscoque Imperiali & Sacro Rom. Imperio, Comitatum istum, justis & Legitimis de causis devolutum pronunciaffet: Et hic Ludovici Imperatorius actus Dignitatis illius origo dicitur, quâ adinstar constitutorum ab Imperatoribus officiorum Domus Augustæ, adhuc hodie Comites Lateranenses designantur, variisq; privilegiis tenore Bullarum Imperatoriarum ornantur.

* Quod à *Fausta* conjugè Constantini M. ædificatum esse testis est *Reinesius de Pal. Lat. p. 6.* Neque enim illa circa Palatia ambitio intra Imperatores stetit, quin etiam ad Augustas transiit. *Lateranum* verò an à familiari Lateranorum nomine, quod multis commune fuisse dicitur, an ex eo quòd Nero dedecorosè potionibus usus maleficis, illic, ut fertur, *latens ranas* evomuerit, an verò aliunde dicatur, curiosius rimentur alii.

§. 7. Numne ergò adhuc hodie *Palatii Lateranensis* titulû Cæsarei Palatii Comites suis rectè apponere nominibus censendi sunt? Etenim cum Palatium Lateranense in Pontificis rursus devenerit manus, sitque nunc, asserente *Reinesio*, *heredium* quasi *papale* frustra & haut ab ambitus falsique suspitione, hunc sibi arrogare Comites titulum, non abs re quis fortè asserat. Sed Comitibus quibus serueantur non desunt argumenta: Veteris nimirum dicunt dominii memoriam in honorario illo Comitivæ Palatii Lateranensis titulo conservari, & Sacratissimos Imperatores vel sic sibi vendicare, quod injustè hæte-

nus

mus à m. f. possessore, qui nullo tempore præscribit, detinetur: *vid. Bœcler. Not. Imp. lib. 2. c. 2. p. 18.* Pontificii contra indignum esse volunt, in Sanctissimo Ecclesiæ Capite ea quæ tot annorum firmavit series privilegia in quæstionem vocari, cum nec inferiorum jura Principum temporis quæ sita præscriptione in dubium vocentur. *Limneus* autem *lib. 4. de jur. P. c. 4. n. 44.* omnium optimè se rem intricatam expedit, & quamcunque circa hanc enatam difficultatem, diversasq; diversorum virorum superasse arbitratur opiniones, dum & Palatium *Aquisgranense*, vocari *Lateranum* ex historiâ ostendit, inde concludens, *Comitivam Palatii*, non à Romano illo, cujus tantum nomen superstet, sed ab *Aquisgranensi* quod in ditioe ac potestate sit imperii, concedi: Sed nescio num rem acutetigerit *Limneus*, illa enim *Aquisgranensis* appellatio non est moneta publicè signata, sed merè encomiastica, à vero Romano Laterano metaphoricè mutuo sumta, quemadmodum *Aquisgranum Romam Novam*, & *Augustam Trevirorum Romam secundam* salutarunt: Enimverò curiosius hanc in rem inquirere operæ pretium non est, utut absurdum aliàs non sit, neque admiratione dignum, ab memoriâ rei, quæ sub alius manu est, titulum tribui, præsertim si hoc ipso possessioni alterius occurratur, & causæ justitiæ vindicetur.

SECTIO II.

DE

CAUSA EFFICIENTE, SEU QUEM-
admodum & à quibus Comites Pa-
latii fiant.

§. 1.

INitiis, & eò quæ spectabant, Comitum Palatinorum visis, dignitatem eorundem penitus paulò consideraturi, modum nunc quemadmodum & à quibus ea acquiratur, ut perpendamus, ordinis ratio postulat.

§. 2. Et quemodmodum quemlibet ῥ' Κύριον qui ha-
bet in

bet in Rep. supremæ virtute potestatis omnium existere quorumcunque dignitatum autorem, distributorem, ita & *Palatium Comitum* honores, non nisi ab Eodem Majestatis fonte profluere indubitatum est. In nostro itaque Imperio, cum potestas ejus summa penes unum solumque, resideat Imperatorem,* quin solus eandem quoque conferat dignitatem dubitandum non est: Hic enim jure nixus inconcusso omnis generis concedit suo nomine privilegia, immunitates & honores: Hincque est, quod à tot Juris Publ. Scriptoribus, & ab ipso quoque Sacræ Majestatis Cæsareæ ore *Hypolytho à Lap. de ration. Stat. cap. 16.* inter Reservata Ejus censeatur: Ut scitè etiam *David Peiferus, Ctus & Cancellarius Saxonicus*, in carmine gratulatorio de Comitivâ Nicolai Reufneri cecinit:

*Ille (Imperator) Palatino solus dignatur honore,
Quos titulis tantis judicat esse pares.*

Unde qui se gerit pro Com. Pal. illiusque sine Imperatorio indultu exercet potestatem, tanquam Majestatis Cæsareæ violator, capite punitur, *Menoch. de A. J. Q. c. 320. Richter. ad Auth. praterea. C. de nat. lib. num. 21.* Et sanè Comitum illa Palatinorum creatio, non leve Imperatoriæ Majestatis argumentum, nec pro vili adeò negotio, ut *allegato loco* putat *Hypolythus*, habendum est. Certè dum ipsi Comitivæ hujus concessione plebeiorum eximuntur conditione Comites, & per magnificentissima quæ consequuntur, inque *universo* adeò Romano Imperio in quorum libet principum territoriis liberè & quietè exercent jura, communi quasi contingat juri derogatio, fulgentissimumque de se præbeant splendorem, non aliter ac ipsa palatia sita in montium cacuminibus, omnibus obvia transeuntibus, non potest non pro splendido insignique aliquo Imperatorio Reservato illud haberi negotium: Præcipuè quod non vilioris semper & plebeix fortis personis, sed etiam aliquando illustris Principalisque conditionis, quod vel ex solâ Generosiss: *Comitum de Orrenburg* apparet familiâ, hanc Palatinam dignitatem collatam legimus: *Stamler. de Reserv. Imper. §. 56. n. 4.* Imò ipsum Saxonix Electorem Fridericum Sapientem, Palatii Comitivam à Maximil:

ximil. l. Imperatore, ampliore licet jurium prerogativa, quam communis fert Palatinorum conditio, sumfisse testis est *Schurtz- fleisch. Diss. de Frid. III.* Idemque de Illustri Hennebergensium familiâ testatur *Scubartus d. Exerc. p. 246.*

* Omnino enim Majestatem ejusque exercitium *in solidum* competere Cæsari, cum Magnit. Dnn. *Schutzio, Reinkingio, Lynckero, Stamlero,* aliisque asserendum est: Utcunque enim *modum* exercendi Majestatem, qui rem ipsam non variat, Capitulatio præscribat, quemadmodum tamen hæc Majestatem Imperatori haut confert, sicut in *der Schurfürsten Ordnung* enunciatur ap. Goldast. *tom. 2. der Reichs- Satzung: p. 35.* ita nec per eam tolli Majestatem minui certum est: Quod enim quam plurima & vel præcipua vim præferentia Imperii non nisi adhibito consilio ac consensu Electorum vel etiam unâ Statuum exercere Imperator possit, per hoc potestati ejus summæ nil detractum apparet, cum non statim omni illi sine quo effectus produci non potest, effectum imputandum esse indubium sit: Neque enim ullibi in partem Majestatis imperiive ab Imperatore assumptos vel ipsos Electores esse dicitur, quin potius Cæsareæ sublimitati assistere & in partem curarum ac sollicitudinis eosdem constitutos esse A. B. c. 3. v. 1. loquitur: Nimirum ut tyrannidem avertentur, ac Majestatis exercitium, ut non nisi in salutem imperii vergat, quod est *monarchicè* imperare, modificentur: Optimè Frid. III. in juramento à Carpzov. relato *c. XI. de L. R. sect. 10. p. 76.*
Dem Volck so mir unterworffen ist/will nus seyn und Gerechtigkeitt verschaffen und mittheilen/das ich des Reichs Recht und Gerechtigkeitt will erhalten/wie ich solches mit Rath der Fürsten auch des Reichs und meiner Getreuen am besten empfinden kan.

§. 3. Sed nec ipse semper Imperator *immediatè* hunc Comitivæ honorem tribuit, quin suæ Majestatis radios ad alios etiam extendit, illosque ceu solis instar illustrat, ut Comites, quod jure alias proprio non poterant, Palatinos creare valeant: Exemplum est in Archiducibus Austriae, (quorum potentiam privilegiorum diffusus æmulatur splendor, cum nullus, teste Dn. *Schrötero in Diss. de Civil. Nobil. Stat.* in universâ Christianitate Princeps tot tantisque gaudeat immunitatibus, privilegiis, eminentiis ab Imp. & Regibus Rom. concessis, quemadmodum Domus Austriaca) quos in *suo Archiducatu* *uti Comites, Barones, Nobiles creare, ita & hunc Comitivæ honorem conferre posse

posse certum est: *Sixtin. de regal. lib. 1. c. 4. num. 34.* Imò & ipsos aliquando Comites Palatinos alios rursus specialissimo privilegio & indultu creare posse, exempla ut ut *rarissima* evincunt: Ita de *Joh. de Amatis, Patavino, in Sanctiore Consistorio Imperatorio Senatore*, testantur communiter, istum à Carolo IV. Imperatore *Palatii Lateranensis Comitivam* eâ liberalitate accepisse, ut non iis solùm quæ aliàs eidem sunt annexa frueretur juribus, sed & ipse Comites Palatinos efficeret: Nec soli *Joh de Amatis*, sed omni familiæ masculæ usque dum floreret, & capacia tantæ dignitatis proferret ingenia, hoc beneficium concessum dicitur. Simile privilegium *Gabrieli Comiti de Ortenburg*, & ejusdem descendens à Carol. V. Imperatore concessum esse refert *Carpz. ad L. Reg. cap. 10. sect. 10. n. 8.*

* Secus quàm sentit *Petrus Fritze de Nobilit. Civ. concl. 8:* eumque secutus *Dan. Otto de Iur. P. cap. XI. p. 337.* qui ad totum Imperium privilegium illud Archiducum extendunt, rectè hoc nomine refutati à *Limn. in not. ad Otton. c. l. & Carpzov. ad L. Reg. cap. 3. sect. 13. n. 51.* Ecce verba privilegii, quod integrum extat ap. *Limn. 5. Iur. Publ. c. 2.* ad sola territoria Archiducalia se referentis: *Auch daß Sie (die Erz-Herzogen) und ihre Erben und Nachkommen in allen ihren Landen/ Herrschafften und Gebieten / als oben gemeldet ist/ Graffen/ Frey-Herren / Ritter/ &c. &c. auch dugsame und verdiente Personen von neuen Edel machen.*

§. 4. De Pontifice, an & is Comites Palatinos creare possit, quæsitum est: & rectè affirmat *Bechtius in N. 7. P. de Secur. & Salv. cond. thes. 210. in fin.* Res ex eo pendet, an *Majestatem habeat?* Enimverò cum omnia ipsum proprio suoque nomine jura exercere *Majestatis*, supremumque non *Rome* saltem, sed & *Ducatus Spoletani, Urbinatensis, Ferrarensis, Patrimonii D. Petri, Bononiæ, Marcæ Anconitanæ &c.* existere Principem, ex *Sprenger. Instit. Jur. P. lib. 1. c. 2.* aliisque constet, frivolum certè erit, negare ei *Majestatem* velle, quam nec vel ipsi Eidem tribuere gravantur Reges alii: Hinc *Clariss. 7. Citus Osvald. Hiltiger. ap. Arum. vol. 2. Disc. Acad. 30. p. 871.* Pontificem *Romanum*, inquit, *Monarchiam hodie exercere, & secularem habere potestatem,*

potestatem, extra dubitationis aleam positum est: *Authoritas enim* eò nunc processit, ut de potestate hac disputare & ambigere, non modo sit supervacaneum, sed & ridiculum. Conferri huc merentur ea quæ habet Excellentiss. Dn. Müllerus, J. C. & Antecessor Jenensis, Patronus & Præceptor noster sanctè devenerandus, in *Diss. de Principum Germaniæ Legationibus* cap. 3. §. 16. Sanè quod Joach. Claten. in *Syll. rer. quotid. conclus. 6.* & Dissentientes cæteri, Pontifici ut Servo servorum, in *Proem. Decret. & ibi Gloss.* regimen gerere haut convenire, nec Ecclesiasticam cum Politicâ esse confundendam potestate, ex *can. cum ad verum 6. dist. 96. & can. quoniam 8. dist. 10.* dicunt, confutationem ne quidem meretur, & hos omnes nec ratione uti rectâ, nec verâ collectione niti asserit *Carpzov. ad L. R. cap. 13. sect. 4. num. 29.* Certè si omnis quæ est potestas à DEO est, quis negare ausit, Papæ potestatem civilem esse à DEO ordinatam, eoque nomine comiter observandam esse. Absit autem omnium Principum Regumque Christianorum Pontificem constituamus Dominum ex *can. cuncta per mundum. caus. 9. quest. 3.* Cum enim quilibet Reges summi sint in suâ republ. Principes, quomodo iidem, salvo Majestatis jure, Pontifici subjecti queant esse, non apparet. Imò an ipse hanc sibi potestatem arroget Pontifex, est quod dubitari adhuc possit.

§. 5. *Regi Romanorum* an Palatii Comites creandi facultas competat, disquiri meretur: Sanè si *Majestatem* habet, expedita res est, in quo tamen argumento mirum in modum à se invicem discedunt Doctores: Nos Regem Romanorum cum Cæsare eandem * numero *Majestatem* habere, quæ ad eò in duobus subjectis, singulari quadam ratione monarchicè, se exferat, cum Magnif. Dn. Lynckero, Doctore ac Promotore nostro *filiæ observantiæ cultu etatem suspiciendo*, in *Disp. de Commiss. Imp. ad. Neg. Stat. §. 15.* contra Paurmeisterum *lib. 2. cap. 5. num. XL* Linnæum in *addit. poster. ad lib. 2. Jur. Publ. c. 15. p. 87.* & in *not. ad artic. 32. Capitul. Rudolphi II p. 528. num. 18. seq.* Rümelinum *p. 3. ad A. B. Disp. 1. thes. 7.* aliosque qui omnes *diversimodè* sentiunt, asserimus: Et oportet etiam: Eligitur namq;

(1) Rex Roman. non aliâ ratione, quàm Rex vacante Imperio

rio alius, wird zur Ehr und Würde auch Macht des Königl. Namens erhoben und gesetzt. Hincque (2.) Status & universi & singulireverentiam & obsequium æquè ei ac Cæsari debet. (3.) Majestatem quoque suo nomine exercet für sich selbst / ** dum leges promulgat C. G. D. proæm. ibi: Erzen ordnen und wollen in Krafft berührter der Kayserl. Majest. Heimstellung / auch für uns selbst / als Römischer König gebietend / 2c. R. A. de ann. 1542, in proæm. ibi: Im Nahmen und an statt der Römischen Kayserl. Majestät / unsers lieben Bruders und Herren / und für uns selbst; (4.) utitur plenitudine potestatis Königl: Macht und Vollkommenheit ap. Limn. 2. Jur. P. cap. 15. num. 40. (5.) Comitiam indicit, & cum plenâ potestate iisdem præest R. A. de ann. 1542. §. So hat demnach: quin (6) expressè ipsum haut secus ac Imperatorem pro totius Imperii Capite haberi legimus in R. J. de ann. 1555. §. und im fall. R. J. de ann. 1564. §. so unterstunden: ibi: die Häupter: 2c. Conf. Schutz. de S. R. R. vol. 1. Disp. 5. th. 3. Reinking. de regim. secul. & Eccles. lib. 1. class. 3. cap. 14. num. 39. seqq. Quæ omnia cum Majestatem Regis Rom. evidentè satis evincant, jura quoque Majestatis ceu necessarium aliquod consequens, eidem tribui necesse est: Ut ut autem ea quæ totius Imperii concernunt Statum, cum consensu & non nisi permissione Imperatoris saltem si hic absens vel aliàs impeditus sit, exercenda veniant, ceu ipsi in suis Capitulationibus promittunt Reges, Sie wollen sich keiner Regierung und Administration im Heil. Röm. Reich weiter oder anderst unterziehen / dann so viel ihnen des von Kayserl. Majestät verordnet und zugelassen wird: vid. Capit. Ferdin. IV. art. 47. Ferdin. III. art. 49. & Rudolphi II. art. 29. Cætera tamen jura & regalia pro eâ quâ pollent Regiâ absolutâque potestate in actum deducere secundum non prohibentur: Sic Academias confirmare, Principes, Comites, Nobiles, Doctores, & ipsos, quod probandum erat, Comites Palatinos creare possunt: vid. C. G. D. part. 1. tit. 3. §. Desgleichen. R. J. de ann. 1548. §. Wiewol auch: ibi: Daß die Graffen und Herren / so kürzlich ihre Dignität erlanget / sollen in recognitionem præminentia, so sie von uns und unserm freund.

Freundlichen lieben Bruder dem Röm. König empfangen:
Capit. Ferd. IV. art. 44. ibi: Insonderheit aber die Diplomata
 über der Fürsten / Graffen und Herren Stand / auch Nobilita-
 tiones und Palatinaten / sampt andern Freyheiten und Privile-
 gien / welche wir / als Römischer König / erheilen werden / &c.

* *Utrique enim quod Imperator Regi Rom. titulum Seiner Liebden /
 Hic ipsi Majestatem tribuat, insuperque Dominum suum appllet: quod Rex Rom. in sigillis & insigniis simplicem, Imperator verò bicipitem gerat aquilam &c. Potestatis discrimen non arguunt, saltem ut eandem Majestatem in Imperatore magis quam in Rege vividam esse ostendatur: Unde nec dignitate quidem simpliciter minor est Cæsare, sic enim dicitur semper Augustus R. A. de ann. 1555. pr. & R. A. de ann. 1557. princ. & non minus ac ipse Cæsar titulo Majestatis utitur, qui non dignitatis saltem sed & potestatis summa index est.*

* * *Propria ergò & ordinaria ejus potestas est, Excell. Dn. Lyncker. tr. de Grav. Extrajud. c. 5. sect. 1. num. 16. Et quantum qui vicariam ei affingunt, à vero omni absunt! quos inter est Michael. de Jurisd. concl. 29. & ipse quoque Limna. 2. Jur. Publ. c. 15. n. 35. moti per R. I. de ann. 1555. §. Undim fall. Ubi an Stadt Käyserl. Majestät. & simil. loc. In quibus tamen verbis non vicaria potestas, quæ quidem Regi Jure proprio competit, sed id saltem indicatur, loco Cæsaris esse, ut subjectum seu personam ejus gerat: Et quomodo dicere aliàs posset Rex, für sich selbst / it. auß Königl. Macht und Vollkommenheit / si vicaria saltem ejus esset potestas? Quod si verò aliquando Cæsaris solius mentionem faciat Rex Romanus illud potius civilitati & prudentiæ adscribendum est v. R. I. de ann. 1542. §. Und damit. R. A. de ann. 1555. §. Und wiewol. Nimirum exercitium habet loco Cæsaris, potestatem ipsam ex semet uestimare & exserere potest, cum Imperator vel Lex permiserit.*

§. 6. Quantum ad *Vicarios Imperii*, an & hi ad Imperatoria Reservata, quorum è numero Comitum Palatinorum creationem esse, supra diximus, manus admovere possint, intricata res est: *Limnaus* sanè acriter id negat *lib. 1. Jur. Publ. c. 12. Schützius* affirmat in *coll. 7. P. D. 5. th. 22.* & in *Diss. de Vicar. Imper. conclus. 12. lit. B.* *Stamlerus* autem distinctione rem decidit, *Diss. de Reserv. Imper. §. ult.* Nos salvo aliorum Judicio *Schützii* hâc in parte defendendas suscipiemus partes, adeòque cum eandem Vicariorum ac ipsius Imperatoris potestatem esse dicamus,

mus,

mus, omnium Jurium Maj. & ipsorum quoque Reservatorum, nisi quæ expressè excepta sunt, liberum plenumque exercitium iisdem relinquimus: Etenim cum omnium Regum Principumque vicarii tale semper censeantur habere Imperium, quale ipsi habent, quorum sunt Vicarii, nisi limitatum inveniatur *arg. l. 2. C. de Offic. ejus qui vic. alic. l. 1. §. à præfectis. ff. de leg. 3. Buxtorff. conclus. 71.* Lex verò Imperii specialiter quædam Vicariis prohibeat, futuroque reservet Imperatori *vid. A. B. c. 5.* Cætera omnia quæ non excepit, concessisse præsumitur: Exceptio enim cum in casibus non exceptis regulam firmet *l. quæstum. §. idem respondet. ff. de instrum. leg. l. 12 ff. de Judic. & nulla absque regulâ detur exceptio arg. l. 1. de R. 7.* oportuisset sanè & reliqua in d. A. B. exprimi, quæ concessa esse noluiſſet. Quin ipse usus A. B. & consuetudo (utcumque de naturâ Vicariatus taceamus) pro nobis est: namque Comitem Palatinum ultimo Vicariatu *ann. 1619.* Doctorem quendam Equestri dignitate ornasse, & civi cuidam F. inducias moratorias *Austands-Brieffe* / quod & ipsum non minus est de Reservatis *Policey-Ordnung de ann. 1548. tit. Von den verdorbenen Kauff-Leuten. §. Nachdem.* concessisse, testis est prælaud. *Dn. Schütz. D. 5. th. 12.*

§. 7. *Augustam* Palatinæ posse tribuere dignitatis honorem, vix est ut asseri queat. Summo enim cum careat Imperio, nec ullam *ex se* potestatem, sed quicquid habet, per *modum cujusdam dependentie* habeat, nulli quoque Majestatis effectus, nulla jura, nulla Reservata eidem tribui rectè possunt: Et quamvis legum ferendarum potestatem illi concedat *Carpzov. de Leg. Reg. cap. XI. §. XI. num. 15. 16.* Rectius tamen id à *Limneo tom. 5. p. 73.* negatum est: Si enim nec ipsa Legibus soluta est *l. 31. ff. de LL. quâ aliis leges præscribere poterit?* Privilegia tamen Princeps ipsi sicubi videtur ei concedere potest quæ ipse habet: Et rei hujus in jure nostro extant exempla non pauca, ut in *l. 7. C. de bon. qua lib. l. 6. in fin. ff. de Jur. fisc. l. 3. de Prepos. Sac. Cub. l. pen. C. de don. int. Vir. & uxor.*

§. 8. Altioris fortè ingenii quæstio est, an Electoribus, Ducibus, Marchionibus, cæterisque Imperii Statibus jus hoc Palatinos creandi Comites Imperatoriâ salvâ Majestate asseri rectè possit?

possit? Et vel ex hoc solo frustra hac de re dubitari diceres, quod ne *Nobilitandi* quidem jus, quantum quidem territoria eorundem attinet à Vulteio *Jur. Feud. c. 8 n. 10. §. ignobile.* & ipso quoque Noldeno *de privil. Nob. c. 2. n. 18.* iis negetur: Cum & aliàs nil ferè notius illo: *Tantum quoslibet in suo territorio posse Principes, quantum Imperator in universo Imperio:* adeòque à potestate Imperatoris in *universum* ad potestatem Ducis, Marchionis &c. argumentum rectè fieri videatur, quoniam & ipsa quoque Reservata Imperatoria longà & vetustissimâ hominis superante memoriam consuetudine à Statibus jam acquisita censeantur. *vid. Frize de Nobil. Civ. conclus. 7. lit. A.* Sed & sunt qui aliter statuunt, Carpzovius *ad L. Reg. cap. 3. sect. 13.* Limnæus *lib. 6. de Jur. P. c. 1. num. 44.* Sixtinus *de regal. lib. 1. c. 5. n. 123.* & alii, quibus nec sua queis se tueantur desunt argumenta, quæ heic examinare nostræ non est operæ, nos enim litem indecisam relinquimus: De eo sanè liquet, Principes, utcunque creandi Comites facultatem habeant, non tamen posse illis Doctores, Magistros, & ex sententiâ Stamleri *de Reserv. Imp. §. 56. n. 8.* à quo dissentit Carpzov. *de regal. c. 2. th. 31.* Notarios creandi potestatem tribuere: quomodo enim quam ipsi non habent conferre queunt aliis?

SECTIO III.

DE

PERSONIS QUÆ COMITES PALATII creari possunt.

§. I.

Personas videamus, quibus tantæ dignitatis prærogativa, & ob quas causas concedi soleat: Etenim id facilè constat, cum dignis elargiendæ dignitates sint, *l. contra 14. C. de re milit. l. honores. 7. in pr. ff. de Decur. l. ad splendidiore 7. C. de divers. offic.* non nisi iis qui muneris hujus capaces, omnique honorum genere digni, quique vel parentum majorumque vel propriæ laude virtutis inclyti inveniantur, Comi-

C

tivæ

tivæ honorem concedi; Sed non una semper eademque hujus
 rei causa est: In Principe ipso vel hanc solam diceres, ut Maje-
 statem dignitatemque, potentissimam illam clementiæ verè que
 regiam virtutem exercendo, extendat diffundatque: Ad quam
 quidem varia sunt, quæ Principem impellere queunt: *Sublimis
 Juris scientia: Laudabilis vita morumq; probitas: Honestæ generis
 origo: Varia & præclara merita: Mentis ingeniig; eximia dotes: U-
 sus rerum & experientia: Excellens consilii copia: Quin &, cum præmiorum exhortatio bonos efficiat l. 1. ff. de f. & f. ut
 tanta dignitatis concessione ad egregia facta stimulentur alii &c.*
 Quæ quidem causæ & si quæ sunt plures similes, si non omnes,
 pleræque tamen in Diplomatum exprimi solent: Ita in Di-
 plomate Dn. *Wilhelmi Schröteri, f. Cei, Cancellarii quondam &
 Consilarii Saxo-Gothani Intimi*, legitur: Wann wir nun
 gnädiglich angesehen/wahrgenommen und betrachtet die Ehr-
 barkeit und Geschicklichkeit/Zugend/Bernunfft und Erfahren-
 heit/damit vor unser Kaiserlichen Majestät der Ehrsame/Be-
 lehrter/unser und des Reichs lieber getreuer/Wilhelm Schrö-
 ter/der Rechten Doctor, unsers lieben Oheimbs/Hertzog
ERNSTENS zu Sachsen/2c. Ebd. Rath und Sanklar/
 sonders berühmt worden/wie auch die getreue Dienste/die der-
 selbe dem Heil. Reich in mannigfaltige Wege auff Reichs-
 Craiß-Deputations-Tägen und Conventen rühmlich erwiesen/
 nicht weniger die Begierde und Euffer/so Er uns und unserm
 löbl. Erz-Hause Desterreich/alle angenehme Dienste zu thun/
 jederzeit scheinen lassen/darzu sich derselbe noch ferner gehor-
 samst anbietig machet/es auch seinem/Ihme von **GDZ**
 verliehenen talento nach/noch wol thun kan/mag und soll: So
 haben wir demnach 2c.

§. 2. Non uno verò modo, sed vel *conjunctim* corpori
 totique collegio, integrisque familiis, vel *separatim* singulis per-
 sonis in quibus cum morte desinat, nullâque ad posteros here-
 ditate transmittatur, Comitivæ honor conceditur: Qui colle-
 giis concessus legitur non idem est, sed pro diversâ institutione
 primâque impertientis voluntate variat, ut non eadem omni-
 bus prærogativæ jura & privilegia competant: Quæ cum ex
 Diplo-

Diplomatibus unicè metienda veniant, nonnisi inspicienti eadem recensere licet. De *Kiloniensi Universitate*, testis est Schubartus *d. Exerc. p. 244.* eam per Rectores suos non Notarios saltem Creare, sed & Pœticam laurum concedere: Spurios legitimandi facultatem addit Dn. Otto, *Diss. de legit. p. 17.* Qualis *Julia*, quæ *Helmstadii*, est competat Palatinæ dignitatis prærogativa, ex privilegio à Maximil. II. Imp. *ann. 1575. Praga d. 9. Majæ* concessa, & postmodum *Helmstadii ann. 1579.* per Jacobum Lucium typis exscripto apparet: Nimirum hoc illa præ aliis habet, quod Rectores eo quo Rectoratus officium administrant tempore, Comites Palatini sint & salutentur, ipsum verò Privilegium ad solos Notarios seu Tabelliones ac Judices Ordinarios creandos adstringatur: *Thom. Sagitt. d. Exerc. th. 17. lit. B.* Non prætereunda hic quoque est, Jcti cujusdam Rostochiensis & Consilarii Megapolitani *Jacobi Bordingii* modestia, qui oblatam sibi à Rudolpho Imp. in Comitibus Augustanis *ann. 1582.* Palatii Comitivam submissè deprecatus est, & ut in Decanum Collegii Juridici in Academ. Rostochiensis, ea transferretur, impetravit: *Reines. de Pal. Later. p. 32.*

§. 3. *Familiarum* quæ hoc claruere titulo celebriores referuntur, *Amadea, Forestariorum, Hennebergica, Ortenburgica,* & Illustrium aliæ plures, quæ vel in stirpe suâ jam extinctæ, vel vigore integro florentes, honore isto ac jure adhuc fruuntur: Generosissimam quoque Familiam Comitum de Thurn & Vallesassinam inter alios & hunc usurpare titulum, *Cæsarei Palatii Comites hereditarii*, leguntur. De Comitibus *Fuggeris*, Johanne Seniore & Hieronymo in Kirchberg & Weissenhorn, idem refert *Schubartus c. 1.* eos familiæ suæ hunc impetrasse à Ferdinand. II. Imper. honorem, *anno MDCXXIX. d. 10. Nov.* & ita quidem, ut post obitum horum duo filii nati primi, atque itidem horum usque dum mascula Fuggerorum gens existeret, Comites Palatini haberentur, his verbis: *Insonderheit haben wir mitgetheilet/und sie beyde sampt und sonders/ und nach derselben tödlichem Abgang beyder ihre ältiste Söhne / wie auch nach dero ableben wiederum dero ältiste Söhne/ und also fort und fort in Ewigkeit!*

teit / in die Ehr und Würde unserer Kayserl. Hoff- und Pfalz-
Graffen gesezet.

§. 4. Frequentius & fortè etiam consultius *separatim*
uni personæ concedi honor ille solet, pro meritorum tamen
ratione varius: Sicut namque auspiciator quandoque virtu-
teingeniique opibus, aut alterius commendatitiis emergen-
di existit occasio, ita benigniora Imperatoris munera percipe-
re licet: Nec personæ minus variæ sunt, quibus dignitas illa
concessa legitur: Neque enim eos saltem quos eruditionis
commendavit præstantia, sed & bellicâ qui strenuè excellue-
re virtute, titulo hoc insignitos esse certum est: Quanquam &
id fatendum sit, Ictorum plura quam quidem aliorum extare
exempla: *Numquid verò qualibet prerogative hujus capax per-
sona censenda est?* Sic putem, modò à Principe pro idoneâ
habeatur: Sed *an & indignus creari Comes poterit, & siquidem
creatus, an pro tali verè habendus?* Videtur utique: Cum sa-
erilegii instar sit dubitare an is dignus sit quem Imperator ele-
gerit *l. 3. C. de crim. sacril.* & Principi, in quo clariori fides ef-
fulget lumine *l. 8. C. de Summ. Trin.* beneficium ob benemerita
se concessisse attestanti, quàm maximè credendum sit: Ut
nefas proinde sit eos quos ipse dignos putat honore Princeps,
honorare nolle: Hinc & actus quoque à tali peractos Comite
firmos esse, eâdem ex ratione concludendum: Namque &
Nobilitatem iis qui eam haud meruere conferri cernimus,
quos tamen è Nobilium numero vix quisquam eliminaverit:
Adde: Quod actus illi ex ipsius potius concedentis personâ
considerandi veniant, & non ex Comitibus Palatini, per quem
ceu ministrum ipse suam exercet potestatem Imperator: De
Comite autem Palatino aliove quodam cui ex speciali privile-
gio Comites creare licet, tantum abest ut eum indignis hunc
Comitivæ titulum tribuere posse concedamus, ut potius talem
ceu privilegio suo abutentem pœnâ privationis suæ dignitatis
plectendum esse existimemus: Quibus enim tanta competit
ex Imperiali Indulgentiâ licentia, illi non nisi quos dignos &
hujus honoris capaces deprehenderit, quique actuum iisque
annexorum jurium in tali munere peragendorum gnari periti-
que

que censeantur, ad eundem evehere debent: quin Imperator ipse in Diplomatum qualitates personæque solet recensere requisita, quæ in creatione Comitum attendenda veniant, ut si contra ea fecerint, privilegio suo abuti dici mereantur.

§. 5. Uni speciatim personæ Comitivæ titulum concedi solere dixi: Unde constat, personalem hanc dignitatem esse, nec ad heredes transire, sed cum personâ extingui. *cap. privilegium de R. in Et. Walter. de privil. Doctor. c. 20. p. 415.* nisi speciali privilegio Imperator hoc ad filios extenderit, quamquam & hoc rarissimè fieri indubium sit: Exemplum tamen in *Georgio Obrecht. Cto Argentoratensi* memorari solet, quem Imperator Rudolfus II. anno 1610. unâ cum filio unico *Johanne Thoma* Comitem Palatinum creavit; verba Diplomatis sunt: *Te Georgium Obrechtum, simul & filium tuum unicum Johannem Thomam Obrechtum, post obitum tuum Sacri Lateranensis Palatii, Auleq; nostræ Cesareæ, Comitem fecimus, creavimus &c.* Aliud adhuc in *Job. Cratone à Craßheim* trium Impp. Archiatro, ex *Dressero in Orat. de Cratone* refert *Walterus c. l.*

§. 6. Quid si pater creatus Comes sit, & filio ejusdem sub hâc conditione *si Doctor erit* idem privilegium concessum sit, an ad Comitivæ honorem admittendus, si *Magister* ille Promotus? Vix putarim: Utcunque sub titulo *Magistri*, ceu generico nomine, cujuslibet disciplinæ Præceptores, Baccalaureos, Magistros in specie, Licentiatos, & Doctores venisse, utcunque etiam *Magistros* vocari *Doctores suo posse modo* concedatur, quod tamen *Magisterii Gradus à Doctorali* sit diversus, eoque inferior reputetur, de eo quidem disceptatio non pendet: *Reinking. de regim. sec. & Eccles. lib. 1. class. 5. c. 11. num. 38. seq.* At si vel ex *rationum paritate* privilegia & quæ *παρὰ Κανονας νόμων* recepta sunt, *privatis* extendere permissum non est, *Magnif. Dn. Lyncker. tr. de Grav. Extrajud. c. 4. §. 12. num. 7.* asseri non potest, cum, quem conditio *si Doctor eris* ad Comitivæ vocat honorem, si *Magister* fuerit, non factâ prius à Principali Providentiâ interpretatione, ad talem dignitatem admitti:

S E C T I O IV.

DE

JURIBUS, ACTIBUSQUE à COM.
Pal. expediri solitis.

§. I.

Nunc jus ipsum Comitum Palatinorum, quamque præ cæteris Comitivæ honore destitutis habent præcellentiam, spectemus paulò altius. Non unius illa prærogativa generis est: *Una* ipsius Possessoris Comitise personæ dignitatem, honorem, immunitates, exemptiones hisque conjuncta plura: *Altera* ipsorum privilegiorum, jurium actuumque quoad alios exercendorum concernit exercitium: Prius de hæc, & strictim quidem quantumve paginæ præscripta permittet angustia, agemus: *Illam sectioni* reservemus sequenti.

§. 2. Jus quale quantumque singulis competat Comitibus, & circa quos versari actus possint, diplomata exprimunt: Varii quidem illi sunt sed sequentes potissimi: *Distributio Graduum & Honorum*: Quò *Nobilium, Doctorum, Licentiarum, Notariorum, Pætarum, Magistrorum & Baccalaureorum* creationem referas: *Filiorum adoptio & arrogatio*: *Insignium concessio*: *Famæ restitutio*: *Spuriorum aliorumque extra thorum legitimum natorum legitimatio*: *Tutorum & Curatorum constitutio*, & *ab aliis constitutorum confirmatio*: *Propriorum hominum manumissio*, & *natalium eorum restitutio*: *Testamentorum aliarumque ultimarum voluntatum ut & donationum cujuscunque vel magni vel medicoris valoris ipsis insinuatarum confirmatio*: *Venie ætatis concessio*: *Super minorum alienationibus alimentorumque transactionibus autoritatis pariter decretique interpositio* &c. Vid. inprimis jam ante cit. *Diploma Schröterianum*: Sed nec omnia hæc omnibus obvenire Comitibus privilegia constat, quòd nec paria omnium sint merita, & iidem virtutum conatus, ut proinde cum personæ conditio qualitasque diversa sit, nec

nec gradibus consistat iisdem, ita & jura ac potestatem variare
 necessum sit, quæ ex Diplomate cuius concessio metienda sem-
 per venit, eritque illius tenor secundum naturam privilegii, *cap.*
7. X. de privil. strictissimè attendendus, neque ultra illum, ut-
 cunque aliàs favores ampliandos, *cap. odia. 15. de R. 7. in 6.* &
 quæ ab Imperiali divinâque proficiscuntur indulgentiâ plenif-
 simè interpretanda esse dicatur, in *l. beneficiū 3. ff. de Const. Princ.*
 extensio facienda ulla. Quo verò modo, quantoque quilibet
 exerceantur actus solemnitatum apparatu, de eo quid dicere nil
 attinet, cum, quæ discussionem operamque adhuc mereantur
 limatiorem, restent alia.

§. 3. Illud in genere disquirendum est: *An Comitum
 Palatinorum, in suis qua indepti sunt exercendis juribus modò re-
 censita potestas, etiam se extendat extra imperium?* Enimverò,
 cum omnis & ipsius etiam Imperatoris, ad suum sit restricta Im-
 perium jurisdictio arg. *l. fin. ff. de jurisd. cap. novit. 13. de judic. §*
1. t. C. si à non comp. jud. Sæv. de Jurisd. th. 1. num. 2. Quid mi-
 rum est, si ipsorum Comitum, qui suo nomine nullam exercent
 jurisdictionem, non ultra extendamus facultatem? Certè
 quod v. c. creationem Tabellionum, liberorum naturalium le-
 gitimationem, aliosque à Comitibus exerceri solitos actus *Gai-
 lius 2. Obs. 71. in fin. § Card. Tusch. tom. 4. tit. 1. conclus. 546.*
num. 10. Bach. ad π. tit. de Jurisd. pag. 378. aliique, *volunta-
 ria esse jurisdictionis* dicunt, leve est: Nam liberos legitiman-
 di, creandique Tabelliones potestas, utcunque in volentes &
 consentientes tantùm expediri dicatur, *Nov. 89. c. 11.* Non ma-
 gis tamen illa ad jurisdictionalia pertinet, quam famæ, leges fe-
 rendi, Nobilitandi, aliaque similia privilegia concedendi facul-
 tas, quam quidem jurisdictionis, modo *formaliter* eandem ac-
 cipias, speciem esse, absurdum dicere foret. Quin imò, qui li-
 beros illegitimè natos facit legitimos, non tam jus reddit, quàm
 quòd juri potius generali deroget, contra illud dispenset, & sin-
 gulare jus ex gratiâ & clementiâ concedat: Quod cum è rega-
 lium numero esse indubium sit, quomodo ad jurisdictionem,
 nisi latè eam concipias, referri potest? * *Conf. Dn. Lauterb.*
Diss. de jurisd. volunt. th. 42. Quod ad Notariorum creatio-
 nem

nem insuper attinet, vel solo præjudicio tuti sumus, namque in Galliâ contra Comitem Palatinum, qui ad creationem Tabellionum processerat, arrestum Tholosæ publicatum esse, ex Boerio refert *Bechtius de Secur. & Salv. cond. num. 216*. Numquid verò per alium jus suum Comes Pal. exercere poterit? Id non dixerim, utcunque delegatum à Principe subdelegare posse disponat *l. à iudice §. C. de iudic. Frize de Nobil. concl. 8. vid. c. fin. §. fin. de offic. deleg. Tr. vol. 1. D. 2. th. 6. lit. G. & ibi Bach. Georg. Mund. von Rodach. de Comit. Pal. c. 3. num. 42. Gail. 1. O. 97. per tot. Sixtin. de regal. 1. c. 4. num. 110*. Nunc singulos potioresque, cum omnes *Disputatio* vix ac ne vix capiat, privilegiorum jam propius attingamus articulos.

* Sed fac: sit jurisdictionis: Nec tamen leges illæ quæ actus vol. jurisd. extra territorium expediri posse probare dicuntur, ut *l. 36. §. 1. de adopt. l. 39. §. 8. ff. de admin. tut. l. 21. §. pen. l. 42. & l. fin. §. fin. ff. de excus. l. 15. §. ult. ff. de manum. vind.* rem nostram conficiunt: Cum quidem Magistratibus suis ut actus voluntariæ jurisdictioni proprios, ultra territoria sed in suo tamen Imperio, non verò extra illud, exercerent, quippe ubi ipsi Imperio omni destituti erant, permittere Imperatores potuerunt.

§. 4. *Nobilitandi* exercitium an Comitibus competat Palatinis, quæsitum fuit variè: *Noldenus* enim de *Stat. & privil. Nob. c. 2. §. 21*. eò quod tales unquam extitisse nesciat, ipse quid decidat, nescit. Equidem utcunque rarissima hujus extare rei exempla ipsi fateamur, quin tamen tantum ex singulari & extraordinariâ ab Imperatore Comiti in Diplomate concedi possit gratiâ privilegium, frustra ambigitur: *vid. Sixtin. de reg. lib. 1. c. 4. n. 104. Frize de Nobil. conclus. 10. lit. b. Arum. vol. 2. Discurs. 16. num. 5*. Neque etiam in totum rei hujus sumus destituti exemplis: namque *Joh. Joachimum de Gruenthall, Com. Pal.* ex Imperatoriâ largitare & hoc habuisse, ut cum insignia conferret, ipsam Nobilitatem tribuere potuerit, *Schubartus* testis est, *d. Exerc. p. 311*. Idemque de *Reusnero* qui & ipse magnoque quidem privilegiorum numero Comes fuit, dicit *Thom. Sagittar. d. Exerc. thes. 33. lit. b.*

§. 5. De eo dubitatum magis fuit, an taliter creati Nobiles iisdem quibus qui sanguine tales sunt fruantur juribus

ac privilegiis? Et sanè cum à Comite Pal. collata nobilitas, ab iplo descendisse Imperatore existimanda sit, *arg. l. 2. §. omnia. C. de V. §. E.* quid prohibet, quo minus non ad nobiliori saltem sanguine progenitos, Equestremq; à Majoribus trahentes dignitatem, sed & ab Imperatore ipsiusve nomine creatos ob *virtutem** Nobiles, sublimia illa jura extendamus? *Becht. de Sec. & Salv. cond. num. 224. Wesenb. cons. 50. num. 19. & 20.* Quia ipsa hoc asserit Nobilitatis formula, cui plerumque hæc inseri cernas: *Allermassen und dergestalt / als wann sie von ihren Ahnen / Vatter- und Mutter- Geschlechtern / beyderseiten der recht Edelgeboren Lehens Thurnier- Genossen und Rittermässige Leut geboren wären.* Unde nec, si consuetudo statutorumve, ut ad seculare aliquod officium, vel spirituale beneficium non nisi Nobiles admittantur, extet, hujusmodi factos Nobiles ab eo excludemus: *Nolden. de Nobil. num. 50.* quod, statuta *strictam* recipere interpretationem, non infringit, neque enim statuto loquenti generaliter, strictior, præter intentionem mentemve omnem, affingenda explicatio; *Dissentit* equidem *Fritze de Nobil. Civ. Conclus. 17. lit. a.* sed qui ipse sibi contrarius est: Si enim, quod fatetur, privilegiis Nobili umque *noviter* ita creati gaudent beneficiis omnibus: quid obstat, quo minus eosdem statuto de Nobilibus disponente venire asserendum sit? nisi verè eos Nobiles esse quis absurde negaverit: Certè quod *Juris Saxonici*, quem pro se allegat, attinet *articulum*, *alienus* ille planè est: neque enim ille in genere, de quo quidem lis pendet, meminit Nobilium, sed contrarium, militum gaudere privilegiis neminem nisi patre avoque milite genitus sit, ibi: *Hat nicht Ritter- Recht / sein Vatter und sein Elter- Vatter seyn dann Ritter oder Ritter- Genossen gewesen / &c.* expressè disponit, quod quidem fieri posse, ipsamet concedimus: Leges verò quibus in contrarium movetur *l. fin. C. de his qui ven. atat. imp. l. si forte. ff. de castr. pec.* ponderis tanti non sunt, ut reponi quid iis nequeat.

* Ergone in illis, quibus sola Equestris dignitatis causa *pecunia* est, quales quidem sub Carolo V. extitisse multos, à quo jus Nobilitatis, vel 25. saltem florenis, cum potestate legitimandi spurios, creandi Nota-

rios, & sexcentis prerogativis aliis, acquiri potuisse refert Sprenger. *Instit. Iur. P. lib. 1. c. 8. p. 42.* & *Becht. de Secur. & Salv. cond. n. 224.* Secus erit? Non putemus.

§. 6. Nobilitandi juri affinis est *Insignium concessio*: hæc cui accensenda origini sint, variorum sententiæ variæ sunt, quas quidem hic congerere longum foret nimis: *vid. Limn. lib. 6. Jur. P. c. 6.* Id incunctabile est, *insignium* tribuendorum potestatem, ab Imperatore solum profectam esse, eamque vi summæ potestatis, nec intermissâ consuetudine, cum aliarum collatione dignitatum, Eundem perpetuò sibi vindicasse: A variis autem vel studio promeritis, modestèque experitis, vel arroganter quandoque sumtis insignibus, ne Cæsaris majoribus impendendæ curæ toties distraherentur, certum muneris genus in Palatio excogitatum Cæsareo, & *Haraldis* commissum esse, testis est *Dn. Schubart. d. Exerc. p. 306.* *vid. Höping. integr. tract. de Jur. Insign. & arm.* Ab Haraldis illis, ad Palatii Cæsarei Comites concedendorum Insignium transiisse facultatem, probabile est, quorum tamen non minus in hoc quoque argumento jura variant, aliis majore, aliis minore gratiâ factâ: Pars major, cum *galeis clausis*, nec tamen omni, nec omnibus quibuscunque vult, tempore tribuere insignia potest: *Reusnerum* quotannis quatuor aut quinque saltem honestis vitæque singulari conspicuis testimonia elargiri potuisse viris, Diplomatis verba evincunt; ibi: *Quâ possis & valeas singulis annis quatuor aut quinque honestis personis insignia seu arma concedere &c.* In Diplomate *Dn. Jac. Ottonis, Com. Pal. Cæsarei & Reip. Ulmenfis Advocati*, tempus aliquod præfinitum non est, sed indefinitè, cum galeis tamen *clausis* Insignium concedendorum potestas tribuitur: ibi: *Daß Er ehrlichen/redlichen Leuten / die Er dessen würdig zu seyn erachten wird! (welches wir dann seinem Gefallen und Bescheidenheit heimgestellet haben wollen /) einem jeden nach seinem Stand und Wesen / Zeichen und Wappen / und Kleinoth mit Schild und zugethanen oder verschlossenen Helmen / geben und verleihen soll und mag / &c.* *Quin apertas* * tamen etiam cum scuto *galeas*, quales quidem

dem Nobilibus saltem & Doctoribus competunt, Comites Palatii ex speciali quandoque Cæsaris concessione, tribuere posse, experimento constat: Ita in privilegio *Gruenthallensi*, §. Ferner thun und geben wir zc. ibi: mit verschlossenen oder auch offenen Adelichen Helmen.

* Quod falsò hæctenus negatum ivit *Mundius, de Com. Pal. c. 3. num. 297. & conf. 33. n. 5. seqq. vol. 2.* Quod si enim, ipso asserente *Mundio c. l. num. 300.* res omnis pendet, & ex formâ privilegiorum Comitib. Pal. ab Augustis creatis datorum decidenda venit, cur apertas in Insignibus galeas concedendi Comitibus facultatem, indefinitè negat, cum quidem hæc illis expressè concessa legatur?

§. 7. Hoc quam maximè in armorum insigniumque concessione observare Palatini Comites jubentur, ne integram alicui *Aquilam* maximè *Imperialem*, aut *Coronam Regiam* in galeâ, aut *avita* quorumvis Principum, Comitum, Baronum Procerumque Imperii arma seu insignia præcisè largiantur: In Diplomate *Schröteriano* hac de re ita: Doch soll gedachter D. Schröter ein fleissiges Aufsehen haben / daß er in Krafft dieser unser Kaiserlichen Freyheit und Gnad / Unsern Kaiser- und Königlichen Adler / auch anderer Fürsten / Grafen und Freyherrn / alt erblich Wappen und Kleinod / auch jemand / wer der wäre / ein oder mehr Königliche Cron auff dem Helm oder sonst nicht verleyhe / welches wir uns hiermit außdrücklich vorbehalten haben wollen.

§. 8. In nonnullos Comites in tantum se Cæsarea extendit largitas, ut non concedere saltem, sed & de singulorum insignibus galeisque cognitionem instituendi potestatem habeant, qualem quidem *Gruenthallio* Ferdinandus II. Imper. impertiisse legitur: Neben diesem geben wir auch vielmeldtem von Gruenthall / Gewalt und Vollmacht / über aller und jeder / was Würden / Standes oder Wesen solche seyn / Wappen / Schild und Helm / Erkündigung einzuziehen / auß was Ursachen / indult oder permission eines oder anders von Ihnen geführet / examen zu halten / und da einig falsum oder Unrecht erwiesen / die Verbrecher nach Gestalt und Grösse der excessu ernst-

lich zu rechtfertigen / darzu dann ihme von Gruenthall alle und jede Obrigkeiten / wo Er derselben Beystand ansuchen würde / alle Beforderung / Vorschub und Hülffe erweisen sollen.

§. 9. *Academicorum sequitur Honorum Collatio* : Neque enim si de præmiis studiorum exantlato cursu conferendis agatur, ab Academia non semper Collegio, sed & à Comitibus Palatinis Autoritate pollentibus Cæsareâ, tribui ea posse, dubitandum est : Sed nec hic omnibus æqua facta potestas : Aliis unius Facultatis, aliis omnium Facultatum Doctores, Licentiatos, Magistros, Baccalaureos insuper, & Pœtas creandi facultatem datam cernimus : quin & numerum quandoque ne cuivis ambitiosè fortè petenti satisfiat, præfiniri, quem Comitens transcendere nefas esset, certum est : ita in Diplomate, *Reuchliniano* : *Præterea singularibus donis quibus Tu aliis Te munificum reddere valeas, & acceptum prævenire cupientes, tibi ut in facultate, aut facultatibus, quibus malueris, viros Scholasticos ad hoc idoneos, & sufficientes, decem Doctores tantum creare possis &c.*

§. 10. An verò & in Academia jus hoc suum exercere Comes possit ? non semel dubitatum est : *Sagittarius* rem dubiam relinquit : Negant, *Dn. Thomafius in tabb. Jur. Publ. & Dn. Beckman ad A. B. t. 5.* *Limneus* autem Privilegii cujusque tenorem inspiciendum jubet : Sanè, si ipsa Imperatoria Majestas hanc dedit Comitibus *illimitatam* facultatem, nos eandem ad certum restringere locum velle inconueniens satis foret.

§. 11. Cœterùm ne ex solius tanti momenti res peragatur conscientiam Comitum, indignumque fortean ad honoris evehi fastigium contingat, utque magis eò de promovendi virtute, ingenio, eruditione, cœterisque hanc ad rem constet necessariis requisitis, in qualibet Facultate quâ honor conferendus est, tres plerumque eodem gradu eademque insignes scientiam viros requiri videmus, qui suo in mores, doctrinam, vitamq; ornâdi, nullâ vel largitione vel affectu ducti, inquirant examine, dignusq; an indignus sit dextrè dijudicent, *arg. l. Magistros 7. C. de Prof. & Med.* Et hoc quàm maximè necessarium ante omnia Comiti-

mitibus injungi, Diplomata loquuntur: Ita namque *Ottomianum*: Doch daß Er in jeder creation eines Doctorn oder Licentiaten/ zum wenigsten drey andern Doctores derselben Facultät zu sich nehme und gebrauche / die denjenigen / den Er also zum Doctorn oder Licentiaten creiren und machen will/ zuvor gebührllicher Weise/ ob er des Standes und Grads/ darzu geschicklich erkant und erfunden werde/ examiniren/ &c.

§. 12. Modum conferendi honores quod attinet, cum Academico ferè convenit; neque enim in suorum sive Doctorum sive Magistrorū, creatione, in Academiis solita insignia, *Capitulum, Pileum, apertum clausumq; librum, osculum, annulū* &c. omittere Comites, putandum; de quibus nec locus hic nec tempus differendi est, & videre licet apud *Camill. Borell. tr. de Magistr. edict. lib. 1. c. 8. Ern. Cothman. Resp. Acad. 44. num. 33. & seqq. Petr. Heig. p. 2. quest. 11. num. 49. & seqq.*

§. 13. Nec minus illud certum est, taliter à Comitibus creatos, eadem quæ in Academiis conferri solent, nancisci jura & privilegia: arg. c. 12. de prebend. in 6. l. 2. C de V. f. E. Dn. Simon. in Diss. de Doct. Bullat. cap. 3. per tot. Arum. ad A. B. disc. 1. th. 5. Trentl. vol. 1. D. 1. thes. 7. lit. b. Cum enim uterque & ab Academia collegio & à Comite Pal. collatus honor, non aliã quam Cælaris Autoritate, dignãque nitatur promovendi qualitate, pronum est, *differentiam** hic aliquam frustra statui: Ut mirari subeat, tot Viros Doctissimos, quos inter est *Bechtius de secur. & salv. cond. class. 3. th. 227. Nolden. de stat. Nobil. civ. c. 5. num. 39. ab eoque allegati Coler. de proc. exec. p. 2. c. 3. num. 135. Ruland. de Commiss. p. 2. lib. 1. c. 14. num. 8. Meland. in Com. Cam. p. 1. t. 45. Gratian. Discept. for. lib. 1. c. 186. num. 68. seqq. Benius de Privil. f. Ctor p. 1. num. 6. G. Pap. dec. 68. num. 3. dec. 388. in fin. Autor Parten. Litig. lib. 1. c. 7. num. 32. Speckhan. cent. 1. q. 26. Simon Majol. tom. 2. dier. Canic. colloq. 6. in diversam abiisse sententiam, quos omnes si ratio deficeret omnis, sola satis confutaret Imperatoria Majestas, quæ paria tribuit jura & privilegia, & ab Academia & à Com. Pal. collatis honoribus: Ita namque in Diplom. *Reuchliniano: Volentes, quod illi per te in Doctores promoti & promovendi in locis omnibus, & civitatibus**

Romani Imperii liberè debeant & possint Doctorales actus facere & exercere, omnibusq; & singulis gaudere & uti prerogativis, privilegiis, exemptionibus, libertatibus & concessionibus, honoribus, præminentis &c. quibus cæteri Doctores in studiis privilegiatis gaudent & utuntur: Quis ergò quæ ipse disertis verbis per Comites Palatinos tribuit privilegia Cæsar, vellicare, iisque quibus rite ea collata sunt, negare aufit? Sanè, quod sufficientem taliter creati non præsumantur habere scientiam, eò quod non sint examinati, (ut quidem *Noldenus* aliique putant) manifestò falsum esse, quivis facilè videt: Et quid præsumtionibus pugnemus adversus eos, quos à tribus minimùm iisdemque eximiis juratisque Doctoribus examinatos dignosque iudicatos esse certum est? Et si vel inani turpisque quæstus spe, aut ex imperitiâ quadam, minus unquam idoneos à Comitibus ad honores admissos esse verum est, an universo inde Comitum Doctorumque ordini præjudicium quæsitum esse putabimus? Quod verò in *Camera Assessorum* numerum eos non recipi volunt, præprimis *Nolden. c. l. Decker. Specim. Comm. de Reb. Cam. p. 165. Rulãd. de Commiss. c. 24.* Id licèt in medio relinquam⁹, textũ tamen ad id probandum allegari solitum, in *Ord. Cam. p. 1. t. 3. §. 1. ibi: In Universitatē &c. vix quicquam ad rem facere, cuius insipienti facilè patet: vid. Dn. Simon. c. l. Limn. lib. 8. 7. P. c. 8. num. 14.*

*Nisi hanc differentiam dixeris, honores impetraturum cautius agere, si in Academiis eos ambiat: cum ex sententiâ Eminentiss. Domini ab *Andler, Jurispr. Publ. & priv. lib. 1. t. 2. p. 2. num. 33.* in Bullatorum Doctorum promotione, propter *privatum examen* incurrere conniventia possit, ipsique adeò studiorum videantur carere fiduciâ, dum publicæ Universitatis censuræ se subducendo, in privatis ædibus Comitum Pal. jura privilegiaque Doctoratus quærunt: Præsertim cum vulgi contra eos pugnet opinio, quæ, ut *Bæclerus* ait, nullis legibus infringi potest, quamquam Doctoribus ita creatis, quoad effectus juris ea nocere haut possit.

§. 14. *Notarios* quoque Palatii Comitibus creandi competere facultatem, dictum supra est. Sunt illi personæ Publicæ *l. 18. ff. de adopt. l. 1. §. 15. ff. de magistr. conv. l. 2. in f. ubi. Gotofr. ff. rem pup. salv. for. l. 32. C. de Episc. & Cler.*

Cler. l. 3. C. de tabul. Nov. 44. c. 1. in f.c. quanquam, ubi Gl. in verb. Servo Publico. de usur. in 6. & servi publici l. 2. in fin. ff. rem pup. salv. for. & ibi Gotofr. Constit. Maximil. von Notarien de anno 1512. ibi: Es ist auch Notarius oder Tabellio, nach dem er ein Diener ist gemeines Nuzens: Si quidem publicè omnibus & officii & juramenti ratione, si requisiti fuerint, inservire tenentur; adeò, ut si absque causâ acta & instrumenta conficere recusent, periurium incurrere censeantur, post Hostiens. Petr. Frider. de mandat. Judic. cap. 53. num. 16. Unde mandata etiam sine clausula & compulsoriales, contra Notarios officium suum denegantes, impetrari, idem tradit Frider. c. l. num. 41. Nisi vel Doctores sint vel Decuriones, vel Clerici, d. Const. Imp. de anno 1512. §. Es ist auch / ibi: Er wäre dann Doctor, ein Raths. Herr / Mönch oder Clericus. Quæ exceptio, tanquam generalis, in iis non solum, qui ab Imperatore, sed & qui à Comitib. Palatinis creantur, locum sibi vendicat.

§. 15. Providum autem & circumspectum esse oportet Com. Palat. in creandis Notariis, ut non omninò ineptos & inhabiles, sed viros saltem honestos atque dignos admittat: Notariatus enim ars est bona & honesta: arg. Nov. 8. c. 8. vers. quis enim non diligat; Unde & illegitimi & infames à tali munere repelluntur, d. R. 7. de anno 1612. §.

Erstlich ordnen: Et quia Notario, sicuti cuilibet officiali, asserenti aliquid de his quæ ad officium suum pertinent, fides habeatur, ejusque fides æquipolleat magistratus seu Judicis fidei, Ant. Fab. in Cod. lib. 6. tit. 5. def. 10. n. 7. Wesemb. p. 3. conf. 130. num. 63. & p. 4. conf. 183. num. 17. Carpz. proc. Jur. tit. 14. art. 5. num. 40 seqq. Imò Instrumentum ab eo confectum plenam faciat fidem, & probationem, sine alterius adminiculo: c. 2. X. de fid. instrum. l. optimam. pen. C. de contrah. & comm. stip. §. 11. & 16. 7. de inutil. stipul. §. fin. 7. de fidej. Wesemb. in par. de fid. Instrum. Rosbach. proc. Civ. tit. 62. num. 4. Absurdum omninò foret, turpi & infamiâ notatæ personæ, ejusque gestis tantam adscribere velle

velle fidem; nam si & testi vita bona defuerit, fide carebit, cum non possit justitia cum scelerato homine habere commercium, uti dicitur in *c. forus. 10. in fin. X. de V. S.* Præterea quoque in Notariorum numerum non nisi legales personas, actuum ac negotiorum, quæ coram ipsis expediri solent, gnaras atque peritas suscipi oportet; Ideoque *Camera Imperialis* (quanquam hæc creandi Notarium jus non habeat) facere consuevit, ut Notarios, in matriculam ibi recipi qui volunt, non nisi satis examinatos, & idoneos, qui Processus ejusdem judicii exequi possunt, admittat; *Ord. Cam. p. 1. tit. 39. in pr. Myns. 1. Obs. 78.* Sic quoque *Palatii Comes*, nemini absque præmissis examine probatâque legalitate, ad *Notariatus* functionem concedet aditum; Rudes enim qui sunt, & Jurium clausulas renunciationesque, instrumentis passim quæ adjiciuntur, ipsi non intelligunt, de illis alios, uti debebant, informare nequeunt, quin nec titulum merentur *Notarii*, sed instar picarum & psittacorum, in Palatiis Dominorum stantium, & sine intellectu loquentium, eos esse, asserunt *Eberhard. Sen. Conf. 26. n. 4. Pruckman. Conf. 2. n. 91. Sixtin. de regal. lib. 2. c. 15. num. 17.*

§. 16. Quemadmodum etiam Magistratus juramentum præstant de administrandâ justitiâ, *l. 14. C. de Judic.* ita & *Notarii*, ad operam suam requirentibus præstandam, summamque in officio adhibendam diligentiam, & se Constitutionibus Tabellionum conformes exhibendos, juramento adstringendi veniunt; Id quod Diplomatibus, quibus *Comitibus Palatinis* eorum creatio conceditur, inferi solet: *Sixtin. de regal. d. c. 15. num. 21.* contra quod si commiserit Notarius, & v. c. falsum, vel super illicito contractu instrumentum confecerit, amissione officii, conjunctâ cum Infamiæ notâ amputatione manus, puniendus venit, *juxta text. 2. Feud. 55. §. callidis.* quanquam in *Constit. Imp. de anno 1512.* certa pœna non sit definita, sed arbitrio judicis commissa videatur. §. *Demselben nach/ in fin.*

§. 17. De eo adhuc disquirendum est: An *Notarii*, extra eorum à quibus quorumve autoritate creati territorium, officii sui tutò validèq; exercere actus possint? Certè, cum ne ipsum quidem, à quo dependet Notarius *Nov. 44. c. 1. in fin.* extra territorium

ritorium suum extendere jurisdictionem posse Principem, Palatii quoque Comitis, territorii finibus adstrictam facultatem esse, *supra* asseruerimus, judicare facile est, an major *Notariis* hac in re potestas tribui possit: Utrique enim quod ipsi non habuere, in Notarium transferre Princeps, Palatiique Comes non potuerunt, *arg. l. 20. ff. de acquir. rer. dom. l. 54. § c. 79. de R. J. in 6.* Præsertim cum alterius territorii Notariorum interfit, ne ipsorum alienigenæ aucupentur commoda. * Ut liberales proinde præter modum rationemque non possint non videri, qui totum per orbem instrumenta conscribere, cæterisque muneris sui vicibus fungi Notarios posse, persuasum sibi habent: *Vid. Becht. de Secur. § Salv. Cond. num. 217. cum multis ibid. cit. D D.* quanquam Contrariam sententiam communiorem esse, usuque passim receptam, maximè quoad Notarios ab Imperatore, vel ipsius nomine à *Comitib. Palat.* creatos, ultro largiendum sit; de qua etiam consuetudine testantur inter plures *Sixtin. d. c. 15. n. 15. Gail. lib. 2. Obs. 71. n. 13.*

* Quin ipsæ item liquidè decidunt Comitivarum formulæ: ita in *Diplom. Schröteriano*, §. Wir geben auch: ibi: Daß dieselbe gemeine Schreiber / Notarien und Richter durch das ganze Heil. Römische Reich / auch unserer Erb- Königreich / Fürstenthum und Lande für solche gehalten / etc.

§. 18. Unus adhuc Comitum Palatinorum actus, *Legitimatio* scil. ut perpendatur, pretium censetur operæ: Definitur, quod sit *actus legitimus quo liberi naturales Legitimi efficiuntur*: Cujus tres * cum *DD. commun.* agnoscimus species, & sunt oblatio curiæ *l. 3. in pr. § vers. pen. C. de nat. lib.* subsequens matrimonium *l. 5. § 10. C. d. t.* & Rescriptum Principis *Nov. 74. c. 2.* De prioribus hic quicquam modis nil attinet dicere: loci hujus saltem *ultimus* est: Et fit itaque illa *per Rescriptum Principis* legitimatia, si pater libello supplice Imperatori, vel, qui hujus gaudet liberalitate, *Comiti Palatino*, preces offerat, petatque ut liberos suos ex concubinâ suâ susceptos legitimos pronunciare, natalibusque & familiæ suæ inferere haut grave-

E tur:

tur : Vel etiam si liberi ipsi Principis *Comitisve* appellent indulgentiam, fortasse cum pater ipse non poterat, vel non superstes est : *juxta Nov. 89. c. 10. & Bach. ad π. p. 24. Zoes. ff. de in off. test. num. 12.*

* Numquid ergò *nominatio filii in testamento* excludenda fuerit ? Ita statuendum omninò est, frustra *Cujacio, Perezio*, aliisque ex *Nov. 117. c. 2.* contrarium tenentibus : Neque enim per se illa modus legitimandi est, sed facit duntaxat *presumptionem* pro matrimonio, nempe ubi non constat, matrem fuisse concubinam : Non igitur inducit legitimationem, sed *presumptivè* demonstrat legitimitatem. Sed nec ex *Nov. 74. c. 2. & Auth. Item sine. C. de nat. lib.* nova legitimationis species ex testamento patris fabricanda : Utrique cum adhuc *Principis Rescriptum* quo formam essentialem habet legitimatio, superveniat.

§. 19. Pari itaq; eodemq; censenda numero est, & à Principe & à *Comite Palat.* facta Legitimatio, nec minor *hujus*, quam *illius* in hoc sæpe argumento, modo quoad *Illustrium Personarum* liberos legitimandos exceptionem admittas, facultas est : Sed & hoc suo capiendum sensu est, neque enim desunt, in quibus differentia ad huc non levis resideat, cum *Diplomatum* hâc in parte tenor utramq; paginam absolvat, mox plura mox pauciora in se continens privilegia, qui ad casus inibi non expressos, extendendus nequaquam fuerit : Quare, non putem *Comitem Palatinum* legitimare *infantes* posse, si privilegium, legitimationis generale sit, nec horum in *Comitivâ* specialiter fiat mentio; *arg. Nov. 89. c. 11. junct. §. 9. Inst. de Inutil. stipul.* quamvis *spurias* ipsum legitimare posse, non obstante, quòd *spuriorum* tantùm in tenore privilegii facta mentio fuerit, asserendum sit, *arg. l. 1. ff. de V. S. l. si quis. 7. §. 1. ff. de jurisd. l. maximum vitium C. de liber. præter.*

§. 20. Sed nec soli hæc *Comitis* relicta est arbitrio legitimatio, quin potius juxta leges ea exercenda semper est, rectèque tum demum procedit, si quæ illæ *presupponunt requisita*, fuerint observata : quæ quidem cum ubivis in *Legum* sint obvia *Commentariis*, paginæque ultra quàm animus erat jam excreverint, præteriri heic omninò oportebat : Potest autem secundum præscripta legum legitimare Comes, quoscunque legitimationis hoc indigere auxilio arbitrabitur : Et olim quidem

dem

dem solos naturales filios i. e. ex concubina, cum quâ legitimum esse matrimonium poterat, natos, legitimationis objectum fuisse tralatitium est, non etiam spurios, *arg. d. Nov. 117. c. 2.* quos tamen hodie naturalibus æqui parari, & legitimari ita rectè posse sententia omnium una est: *vid. Illustris Dn. Struve, Mæcenarum noster piè observandus, in Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 3. thes. 42.* Num verò idem de adulterinis, incestuosis, & ex nefario natis coitu asserendum sit, ambigitur: Equidem Schützius *Diss. de Legitimat. thes. Principè* hos quoq; ex potestatis plenitudine suæ per rescriptum legitimare posse, opinatur: Sed negativam tuetur B. Pro Cancell. Dn. Strauch. *in Diss. Justin. 4. aphor. 3.* Non enim, inquit, *facere potest Princeps, ut quis uxorem legitimam habens, & alteram habeat, polygamiâ jure divino prohibitâ: at legitimatio procedit ex juris fictione: fingi autem nuptiæ nequeunt, nisi inter personas inter quas matrimonii jus est: ad omnem enim fictionem requiritur probabilitas, ne fingatur quod jure & facto est impossibile.* Neque est quod innocentia multum urgeatur legitimandorum, qui ex flagitiosâ ejusmodi conjunctione vitales in auras producti, commiseratione potius quàm odio prosequendi censeantur: Utcunq; enim quoad hoc nihil eos deliquisse facilè concedatur, adhuc tamen omni beneficio Indigni putandi sunt *juxt. Nov. 74. c. ult.* Et cum ipsum *Natura gentiumve jus* nefarios à legitimis distinguit coitus, quidni, per consequens, jus quoque circa liberos ex iis progenitos diversum necessariò statuendum esse, asseramus?

§. 21. Liberos post parentum contracta Sponsalia, & antè sacerdotalem natos benedictionem, frustra Comes legitimat, quippe cum jam sint legitimi, ut legitimare eos amplius supervacuum sit: *vid. in primis Celebert. Dn. Petr. Müllerus, in Diss. de Benedict. Sacerd. sect. 1. thes. 9. Carpzov. 3. Jurispr. Rom. Sax. C. 14. def. 12. Hahn. ad Wes. de his qui sui vel alien. jur. n. 2. Philippi in usu pract. Inst. lib. 1. ecclog. 61. num. 13.*

§. 22. Numquid verò proprium quoque filium filiamve naturalem legitimare Comes Pal. poterit? & modo ipsa non refragentur Diplomatis verba, cum *Matt. Stephan. de Jurisd. c. 2. p. 1. c. 6. membr. 1. n. 60. Schütz. d. Disp. de Legitim. thes. 27. Gail.*

2. *Obs.* 142. n. 3. § 4. omninò sic habendum puto, cum ratio contrarium urgens ferè nulla appareat: Ceu & *summum* quoque *Principem*, Legitimare naturales suos posse, dubitandù non est: Utcunque enim in se atque suos exerceri Jurisdictionem posse negetur, in *l. 10. ff. de Jurisd. l. un. C. ne quis in sua caus.* id tamen quâ accipiendum ratione sit, in obscuro non est: quin imò leges illæ, de iis saltem, quibus ab aliis jus dici potest, intelligi rectè queunt, at Principi, cum summus sit, jus dici nullum potest: Et si in nostro quidem Imperio *solus*, ex sententiâ *Schützi*, Imperator, & quibus ab hoc concessum est, Comites Palatini legitimare possunt, quorum tamen Comitivas Illustrium Personarum legitimationem continere exceptam notum est, quis alius naturalem Imperatoris nisi ipse legitimabit? An verò talis à Patre Principe legitimatus in regno succedat, majoris ingenii quæstio est, de qua *vid. Schütz. th. 19.* ubi distinctione rem non unâ expedit.

§. 23. Jus taliter à Com. Pal. ferè idem, quod per subsequens matrimonium legitimatis competit: nec minus *illos* quam *hos* liberorum venire nomine, & *effective** pro legitimis haberi certum est: Ut non appareat, cur stante statuto, quod extantibus masculis filia excludatur à successione, solos per subsequens matrimonium, non etiam à *Comite Pal.* legitimatos, (quales fictè saltem pro legitimis haberi ait) fœminas excludere arbitretur *Gailius 2. Obs. 140. § 141.* Quod si enim *per omnia* æquati legitimis legitimati sunt, *Nov. 89. cap. 9.* & tam per subsequens matrimonium, quàm per Rescriptum Principis legitimati, non sunt *verè* legitimi, cum omnis legitimatio fictione nitatur, jurisque civilis commentum sit, cur hoc in casu differentiam faciendam esse arbitrabimur?

* Numquid ergò etiam ad dignitates *indistinctè* admittendus legitimatus erit? Ita omninò statuendum est, quia omnis *funditus* abolita & sublata macula est, *l. Imperialis 23. §. itaque eum: vers. nam omni macula. C. de nupt. Nov. 89. c. 3. & per tot. c. tanta. qui fil. sint legit. Limn. 8. de I. P. c. 8. n. 79. Reink. de retract. consang. q. 2. n. 277.* Ut nec ab *Assessoratus* arcendi munere sint, *Gylman. Sympb. Cam tom. 4 p. 1. vor. 29. n. 69. Thoming. Decis. 48. n. 45.* cum quidè de aliis honestis officiis minus dubii sit, quo facit *Responsum Carpz. Jurispr. For. p. 2. C. 6.*

D. 16.

D. 16. Ist einer von welchen einer Frage meldet / von zweyen
ledigen Personen / auſſer der Ehe gezeuget / nachmals aber
von Weyland Nicolao Reulnero, *Comite Palatino*, Krafft
habender Kayſerl. Majestät Begnadigung / legitimirt
worden / c. ist er auff solche erlangte legitimation, das Bür-
gerrecht allhier zu Leipzig zu suchen wol befugt. B. R. W.

§. 24. *Id prætereundum non est, competere legitimatis, si il-
legitimorum fortè ab aliquo scienter annumerentur numero,
injuriarum actionem: Imò eum, qui contra privilegium legiti-
mationis à Principe indultum, spurium quempiam vel bastar-
dum appellaverit, aliove ipsi sese opponere modo præsumserit,
non injuriarum solùm actione, sed & pœnâ legitimatis in-
fertâ instrumento, (v. c. L. vel. LX, librarum auri) teneri, juris est:
Ita Dn. Otto in formulâ quadam instrumenti legitimatis:
§. Thun demnach: ibi: darzu bey Vermendung der Röm. Kån-
serl. Majestät / und des Heil. Röm. Reichs schwere Bnagnad
und Straff / samyt einer dem privilegio einverleibter Pöen / be-
namentlich 50. Marck löttiges Golds / die ein jeder / so oft er frevent-
lich darwider thäte / halb in den Röm. Kayserl. Majest. und des
Reichs Kammer; Den andern halben Theil mir unnachlässlich
zu bezahlen verfallen seyn solle.*

SECTIO V.

DE

PERSONARUM PALATII COMI- tum dignitate & immunitate.

§. I.

Satis de potioribus Palatii Comitum actibus: *Dignitas nunc
Seorum, honores, immunitates*, hisq; conjuncta alia perspicien-
da restant, sed breviori eo absolvenda modo, quo prolixius per-
tractata præcedentia sunt: Et ceu aliorum, quos Palatio præfe-
cere suo Principes, honos habitus semper magnus fuit, *vid. l. un.
ibi: quos lateris nostri Comitatus illustrat. Cod. de Præpos. lab.* sic
amplam satis quoq; nostrorum Comitum dignitatem esse, ne-
gandum non est: quin namque ipsi in concessionibus Palatinis,

E 3

quod

quod hunc illūve ad *Dignitatem & Fastigium* Comitum Sacri Palatii cooptarint, evexerint, Imperatores pronūciant: Ita plerūq; Würdigen/erhöhen/und setzen Ihn in die *EHK* und *WBR*. *DE* unserer Kayserl. Pfalz- und Hoff-Graffen / zu Latein *Comitis Palatini* genant: Imò honos ille splendidior ideò putandus est, *tum*, quod præter egregia virtutum merita, non nisi Electoris, aut alicujus in Aulâ Magni æstimati Principis intercessione, (ut sibi alicui privilegium sollicitanti, ex Aulâ rescriptum testatur *Mundius* c.1. num. 77. verbis: Der Supplicant, welcher umb das Palatinat anhalten will / muß entweder meritirt seyn / oder aber / von einem am Kayserl. Hoffe wolgelittenen Ehur oder Fürsten / gute recommendation haben) obtineatur: *tum*, quòd cum Equestri Dignitate ferè concessum eum esse, interq; præcipuas causas, quare Imperialis providentia largitatis suæ radios clementer demittat, tot præclara actionum specimina, honestum ortum, virtutumque nobile decus in primis referri, tot Diplomata loquantur: Quod autem propter hanc quam habent Dignitatem Comites, aliis omnibus non habentibus cū territorio Comitatum, præferendos esse *Mundius* indistinctè putat, id limitationem non unam capit, quin regula est irregulariter posita, tot habens exceptiones, ut regulæ nomen vix ac ne vix mereatur.

§. 2. *Nobilitatem* ex solius concessione Comitivæ consequi Comites, non negavero: præterquam enim, quod plebeix vilisque conditionis viros, in jurisdictionis *consiliis*, * quasi partem admittere, inconveniens valde ac infra Cæsarei Palatii Majestatem foret, manifestè quoque res ex Imperialium Concessionum formulis elucet, in quibus præter alia clementiæ vocabula, *Te Palatii Aulaq; nostra & Imperialis Consistorii Comitem facimus, creamus, erigimus*, etiam *Nobilitamus* habetur: quo etiam faciunt verba: Haben wir anädiglich anæsehen / die Ehrbarkeit / Redligkeit / Adelige gute Sitten: *Vid. Diplom. Michaelis Volandi*: §. So haben wir demnach. ibi: Damit andere hinsüro zu dergleichen ehrlichen / Adelichen Wohlthaten / desto mehr gereist / und gehrsacht werden: Quod si coquam Principis eam dignita-

dignitatem habere *Tiraquellus* credit, de *Nobil.* c. 30. n. 10. & *Anton. Faber* in *Cod. lib. 9. tit. 28. de fin.* II. allegatus *Lansio de Acad. p. 30.* quis Comitibus eam, in quibus ut plurimum, per quam Nobiles efficiuntur, reperitur scientia, negaverit? Imò illos his quoad tot Illustrium concessionem beneficiorum, quæ in solis Nobilibus frustra quæsieris, præferendos esse, palam est.

* Numne ergò *Consiliarii Cæsaris* dicendi? Ita *Sagittar. d. Exerc. thes. 46.* Sed fallum! neque enim quicquam cum his commune habent, & vel nunquã vel rarissimè cum Comitivâ *Consiliarius* titulus impertitus legitur, cumque diversa ergò omninò sint, alterum, concessio uno, concessum non intelligitur: Ex unico quod visum fuit *Liebenthalii* apparet privilegio, cum cum Comes crearetur, etiam *Consiliarii Cæsarei* titulum indeptum fuisse: ibi: Weiter haben wir gedachten D. Christian von Liebenthal mit gleichmässig wolbedachten Muth / guten Rath und Rechten wissen / zu unsern Kayserl. Rath / gnädiglich gewürdiget / erhebt an und auffgenommen / &c.

§. 3. Numquid fori eos privilegio tutos esse, sic ut ab omni alio fori contentione liberi, neque ipsi, neque liberi ipsorum alibi quàm apud Cæsaream Majestatem, ejusque Tribunalia conveniri possint, cum *Mundio* ex *Zenone* in l. 3. C. ubi Sen. vel Clariss. asserendum est? Vix putaverim: Sanè d. l. 3. frustra allegatur, & ad rhombum nequicquam facit, præterquam enim quod nostros quantum attinet Comites, ne hilum inibi contineatur, absurdè à *Zenonis* temporibus decisio negotii petitur: Quim & *Gailius* *Mundio* citatus lib. 1. Obs. 41. n. 2. seqq. & lib. 2. O. 54. n. 7. tantum abest ut patrocinii quicquam præbeat, ut contra potius nitatur: Ex eo enim, quod idem dicit *Gailius*, protectionis privilegia, quæ ab Imperatore privatis personis, & plerumque etiam Comitibus Palatinis dari consueverunt, daß sie ihre Hinder und Güter in der Kayserl. Majestät &c. und des Heil. Reichs Schutz und Schirm seyn sollen / jurisdictioni ordinariæ nil derogare, nullumque adferre subjectioni mediatae præjudicium, quid elici aliud potest, quàm non immediatè coram Cæsare Comites Palatii conveniendos esse? Quod si verò de ipsorum Comitivâ & Diplomate, privilegiisque eodem contentis, quæ-

stio

stio moveatur Comitibus, quid juris tum sit, per se jam expeditum est.

§. 4. De Immunitatibus Palatii Comitum, gratiofisque cœteris, cum ingens horum pro meritorum virtutisque mensurâ sit diversitas, certi quicquam dici non potest: Quæ verò aliquando concessa legimus, hæc ferè sunt: *Quod debeant immunes à muneribus tam personalibus, quàm realibus esse: ad iudicis, tutoris, curatorisq; munus cogi nequeant: sint liberi ab excubiarum, hospitacionum, angariarum, parangariarum onere: domicilium alicubi constituturi, certam pecunie summam, pro civitatis emende jure, Bürgerrecht / Einzug / Ausnahm Geld / Et alio translaturi, detractionis gabellam, quam Abzug / Nachsteuer / Abschoss / vocant, solvere non teneantur: Item, quod eximium est, paucisque admodum concessum, quòd arces arbitrato suo struere, noviter extructis vel acquisitis nova imponere nomina, quòd ab iis titulos Et elogia sumere, iis uti in contractibus atq; negotiis publicis, suaq; iisdem insignia augere possint: Quæ omnia, multa que excellentiora alia, si unquam concessa ulli leguntur, obtinuit certè inclytus ille hoc in argumento Joh. Joachimus de Gruenthall, cuj⁹ incomparabilia, verè que eximia jura ex Diplomate ipsius collegit, suæque de Com. Pal. Exercitationi Historice adjunxit Dn. Schubartus pag. 335. seqq. Nobis ea omnia exponere ordine nec vacat, nec pagina, præter intentionem quæ excrevit, permittit ratio: Quare finiendum heic est, postquam Ben. Lect. quantum ad AFFINIA, ad Commentatores L. un. Cod. de Profess. qui in Urb. Constant. doc. ex lege mer. Comit. in primis Ortholph. Fomanum Diff. ad. d. l. un. Fritschium ad L. un. C. de Palat. Et Dom. Dom. part. 1. var. Exerc. Jur. Publ. 13. quantum ad CONTRARIA, ad Mundium, d. tr. cap. 5. n. 57. usq; ad fin. Et ea, quæ de Regalium amissione habet Sixtinus lib. 1. cap. 6. quippe quæ & huc suâ commodè applicari ratione possunt, remiserimus.*

D. S. L. E. G. S.

ADDI-

ADDITAMENTA.

I.

Ex pluribus ejusdem debiti chirographis, si unum reddiderit creditor, taciti pacti de non petendo exceptionem, acquisitam reo non esse, contra Bachov, Bartol. Jason. Bald. Castrensi. aliosque asserendum est.

II.

Feudum paternum, ob feloniam in ipsum Dominum, amissum, ita Domino aperiri, ut tam filii delinquentis, quam agnati à successione penitus arceantur. Gailii, Sixtini, Mod. Pistoris, Berlichii, Gudelini, aliorumque sententia est: Sed rectius distinctione qui rem expediunt, sentire videntur: Neque enim uti liberos, sic agnatos quoque, per feloniam à Vasallo commissam, à feudi successione, qua in eos, post mortem Vasalli ejusque descendendum, jure proprio deferatur, excludi arbitrandum est.

III.

Inducias moratorias fidejussoribus quoque prodesse verius est: Sed non usque adeo extendendus earum vigor, ut pendentibus illis, usurarum quoque interrumpi cursum arbitremur.

IV.

Locum I. Sam. 8. v. 10. seqq. non de consuetudine moreque Regis vitioso, neque etiam de nudo facto cum effectu negatae resistantiae, sed de vero jure, id est, de facultate justè agendi, loqui, textus ipse evincit.

V.

Impius Hobbesius est, quod nullis cuiquam, & ne vel fundamentalibus quidem, obligari Principem pactis, perniciosè statuit: Solidè hoc nomine refutatus à Magnif. Dn. Lynckero, in Diss. de Beneplac. sect. 2. cap. 3. n. 3. Vtcunque enim jus subditi adversus Regem, imperfectum suo modo esse, largiendum sit, interim obligationem verè talem existere, dubitari non meretur.

VI.

Vtcunq, quinq, esse juris in re species, Dominium, Possessionem, Pignus, Servitutem, Jus hereditarium, communis hætenus D D. Schola docuerit, Possessionem tamen jus in re minimè esse, exercitii gratiâ tuebimur.

VII.


Satis improvide, liberèque nimis de Cæsarea judicasse Majestate Oldenburgerus censendus est, quod Capitulationibus Eandem ultra dimidium limitari, alterumque dimidium Imperii firmari Statibus, opinatur: Nequicquam enim Monarchico Cæsaris Capitulationem detrahere Imperio, ratio non una evincit.

VIII.

Vasallum, qua talem, jus summæ potestatis habere, nil impedit: Vtcunque enim Imperii sui Feudalis ratione, habeat quem Dominum appellet, cui ve servitia præstare necessum sit, per hoc tamen summus esse nondum desinit.



Si non



* * *

SI non nisi cum annorum maturitate
 Virtutis se proderet maturitas,
 Nec ingenia quædam hac gauderent
 Ingenii prærogativâ,
 Ut temporum articulis alligari nescia
 Hos longè anteverterent:
 Non crederem, Fautorum Maxime,
 Te hâc annorum serie,
 Istam, quam indolis Tuæ ardor, & nunquam otiosa
 industria
 Ante multas annorum series meruerat,
 Ex ambire potuisse Lauream:
 Videlicet,
 Ut egregii naturæ partus suapte sponte se produnt,
 Nec obstetricum manus expectant,
 Sic ætatis teneritas non remoratur occultum animi
 vigorem,
 Quin & in ipsis cunis occultari ignorans
 Eas illustres reddit:
 Tu, quoque, Optime Amicorum,
 Juventutem Tuam illustrem reddis,
 Dum, ubi annos numerare seniles nequis
 Moribus tamen refers,
 Quodque ætatis intempestivitas differt,
 Ingenii Tibi prænumerat rara tempestivitas:
 Hinc argumentum Inaugurale non protritum



Seligis, sed selectum,
 Quodque augurium exurgentis Tuæ in literis gloriæ
 Auspicatum præbet:

De COMITIBUS, nempe, PALATII Disputas,
 Ut nemo disputet

De egregiâ Tuâ in re Juridicâ & privatâ & publicâ notitiâ,
 Utque ostendas,

In ingenio Tuo ceu in Palatio
 Comites se junxisse virtutem & eruditionem,
 Splendida quarum merita

Comitivam aliquando Cæsaream sint meritura:

Non patitur ergo Virtus Tua,
 Ut virtutis doctrinæque solidæ testem Disputationem
 Meæ testimonium laudis comitetur,

Jam tum enim eruditionis Tuæ gloria comes est,
 Et habes actionum Tuarum testem

Inclytam JENAM,

Quæ, qualis de Te extet opinio,
 Et quanta ingenii Te comitentur bona,

Optimè novit:

Quin ipsa Te celebris celebrat Cathedra,
 In quâ quoties summâ cum laude locutus fueris,
 Ipsa nunc potentissimè loquitur:

Non tantum enim sub Magno STRUVIO,
 Sed & Inclyto LYNCKERO,

Quin & celeberrimo MULLERO,
 Tuæ in velitationibus Academicis ita emicuerunt
 Excellentis animi dotes,

Ut quotquot cathedrales Tuos audiere discursus,
 Non Auditores sed admiratores fuerint,

Nec

Nec Te Disputatorem,
 Sed quarrus quantus es, à naturâ ad Disputanduna
 Fabrefactum ac extornatum dixerint:
 Sic ergò trinâ Disputatione,
 Cum omne trinum perfectum sit,
 Te perfectum esse demonstrabas:
 Sed nec hîc acquiescis,
 Ac perfectum Tibi non satis perfectum est,
 Cumulas enim trigam istam
 Novo Specimine,
 Quo cursum Academicum coronas,
 Ut capeffas coronam,
 Qua exantlati labores Academici consueverunt
 Coronari.
 Feliciter ergò quod matura ingenii foecunditas
 Parturiit, pariat,
 Ac innumeras virtutibus Tuis Lauros paret:
 Scande cathedram,
 Atque dum masculè, ut foles, scita Tua
 Defendis, defende
 Dignū Te esse, quē Dignus de Cathedrâ honos comitetur.
 Ostende,
 Quod Meritissimus de re Juridica PARENS
 AVIQUE meruere,
 Idem de Te sibi spondere posse rem Juridicam:
 Fiat, ut sicuti,
 Nervæ, qui anno 17. de Jure respondisse legitur:
 Fichardo, Frehero, qui 18. cum gloriâ
 Ad Laureas Academicas adspirarunt:
 Bartolo, Mynsingero, Wehnero,

Qui

Qui 21. Gradum Doctorem indepti sunt,
Maturè collatæ Dignitates

Ad futuros honorum apices præluferunt:

Ita Tibi ante ætatem

Felix ingenii felicitas præfagiat,

Te fore quondam non fori duntaxat,

Sed & Academiae splendidissimum,

Imò seculi Ornamentum.

Dab. Spira: d. 22. Febr.

A. O. R. 1686.

Ita augurabatur

Amico suo intimo,

Contubernali quondam Dulcissimo,

JOHANNES SAMUEL BRUNNER,

J. U. L.

F I N I S.



1007

13. N. II, 81.
h. 14. 9.

ASSIST
ET I

Disput

CO
SAC

Magnifi

PR
Summos i

IN AU
Public

BERNAR

Typis, Relictæ c

~~26140~~

ANCTÆ
TATIS

II R
1674

gura

US
TII,

LUDOVIC

IA
Privilegia

ORIO,
Dnn.

LENBEC,

gr. Ord. 1680.

